SEMINARY LIBRARY
PASSIONIST FATHERS

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Holy Cross Province
N.S.A.

# INTRODUCTIO COMPENDIOSA

# IN OPERA

# S. THOMAE AQUINATIS

WITHDRAWN

SCRIPSIT

P. AMBROSIUS BAČIĆ, O. P.

Magister in S. Theol.,

Professor in Pontificio Collegio Angelico de Urbe.

---

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

ROMAE, 1925
Apud « Angelicum », Via S. Vitale 15.

---

Typis Richardi Garroni — Roma, Via Francesco De Sanctis, 9.

MWARQHTIW

Extractum
ex Annuario « Angelicum »,
anno II. (1925) pag. 81-106; 145-184; 223-276.

---

IMPRIMATUR: Fr. Serapius Tamayo, *Vic. Gen. Ord. Praed.*
IMPRIMATUR: †·I. Palica, Archiepp. Philipp., *Vicesg.*

870
BAC

## PROLOGUS.

In conficienda hac *compendiosa Introductione in opera S. Thomae Aquinatis* prae mente habuimus studentes, qui philosophicis et theologicis disciplinis dant operam. Studentes enim, qui doctrina thomistica mentem formare desiderant, ante omnia ad fontes genuinos recurrere oportet. Hunc in finem utile, imo necessarium est scire, quaenam opera s. Thomas scripserit; quae eius opera authentica et genuina; quando illa s. Doctor confecerit. Denique fructuosum studentibus erit, si omnium operum breve summarium ante oculos habeant et ubi illa opera facillime inveniri possint, sciant. Haec omnia in hoc parvo opere conati sumus perficere devitando quaestiones, quae inter doctos adhuc agitantur et ad nostrum finem non conferunt. Adiicimus in appendice etiam brevem chronologiam vitae s. Thomae. Ex hoc enim historico prospectu melius apparebit tempus compositionis operum ipsius. Notitia temporis, quo unumquodque operum s. Thomae est confectum, multum iuvat ad melius penetrandam et diiudicandam eius doctrinam.

Romae, festo Patrocinii S. Thomae Aqu. 1925.

AUCTOR.

# INTRODUCTIO COMPENDIOSA IN OPERA S. THOMAE AQUINATIS

« Nunquam Thomam Aquinatem conveni, quin abierim doctior eiusque amantior ».
(Fr. Sylvester Ferrariensis O. P. in dedicatione sui commentarii in « Contra Gentiles » ad Clementem VII. Cfr. vol. XIII, p. XLI. edit. Leon.).

## NOTIONES PRAEVIAE

1. — S. Thomas suam multiplicem activitatem litterariam solum duobus ultimis decenniis vitae suae exercuit; annis nempe 1251-1273. Istis enim annis quasi omnia sua opera exaravit.

2. — Circa opera autem s. Thomae notandum est, quod *quaedam eius opera sunt commentaria* seu *explicationes* in opera aliorum; ex. g. Commentaria in S. Scripturam, in opera Aristotelis, in sententias Petri Lombardi; — *alia* autem opera *sunt* eius *labores litterarii independentes* ab aliis. Dein eius labores litterarii sunt vel *labores litterarii scholastici*, h. e. exarati pro schola seu pro praelectionibus scholasticis; vel *labores litterarii* exarati occasione unius vel alterius circumstantiae. « Summa contra gentiles », « Summa theologica », « Opuscula » etc. sunt ultimi generis; — « Commentaria in IV libros sententiarum »; Commentaria quaedam in S. Scripturam; « Quaestiones disputatae »; « Quodlibeta » etc. sunt labores primi generis.

Insuper notandum circa opera s. Thomae, quod ille quaedam opera proprio stilo exaravit; quaedam autem alia, ipso dicente vel praedicante, alii ab eius ore exceperunt. Haec ultima opera vocantur *Reportata;* quae aliquando postea ipse s. Thomas vidit et correxit; aliquando autem remanserunt, qualiter ab auditoribus excepta fuerunt. — Denique notandum, quod inter *opera* s. Thomae quaedam remanserunt *infecta,* vel quia morte praeventus illa perficere non potuit, vel alia ex causa ad finem non perduxit.

3. — Chronologiam operum s. Thomae determinare res facilis non est; *viri docti adhuc in pluribus dissentiunt. In assignando tempore compositionis* alicuius operis s. Thomae secuti sumus chronologiam, quam proponit P. Mandonnet O. P. in operibus infra citandis, nisi adsint rationes ab illa recedendi.

4. — Ordo in enumerandis operibus S. Thomae. — Triplici ordine procedi potest; ordine chronologico, ordine dignitatis, ordine scientifico. — Ordo chronologicus non est certus; nam sicut inuimus, nondum a viris doctis determinatum est tempus, quando s. Thomas singula opera composuerit. — Ordo dignitatis incipit a materiis, quae sua dignitate alias praecellunt; consequenter a Commentariis in s. Scripturam esset exordiendum. At ordo hic non placet editoribus ultimae editionis operum s. Thomae, auspice Summo Pontifice Leone XIII, utpote a praeceptis methodi scientificae absonus, praesertim pro iuvenibus. « Adolescentes, dicunt, qui ab humanioribus litteris ad studium scientiarum promoventur, haud certe a Sacra Scriptura licet digniori, aut metaphysica, quamvis altiori et fine totius humanae philosophiae, exordiuntur, sed a logica; et pedetentim, quasi per gradus ad altiora ascendunt, ut perceptis et comprehensis iis, quae rationis lumine cognosci possunt, fidei magisterio altiora homine, quae nempe Deus nobis in mysterio revelavit, addiscant. » Ordo iste est scientificus, ideo concludunt, hunc ordinem in edendis operibus s. Thomae sequendum esse. (T. I. p. XXXVIII–XXXIX). Ordinem hunc iam antea secuti sunt editores editionis operum s. Thomae a. 1571, auspice Summo Pontifice s. Pio V, hunc ordinem in enumerandis operibus s. Thomae etiam nos sequemur.

5. — Authenticitas operum s. Thomae. — Utile ducimus addere quaedam etiam circa quaestionem de authenticitate operum s. Thomae, ne studentes ieiuni sint in hac re. — In primis notandum: quaestio haec generaliter non tangit maiora opera s. Thomae, sed principaliter agitur de quibusdam minoribus operibus, h. e. de quibusdam eius *opusculis*. — Secundo: quaestio agitur in determinandis aliquibus operibus, quae *s. Thomas proprio stilo exaravit;* et ex altera parte determinare opera, quae *Reportata* dicuntur, h. e. quae eius discipuli aut auditores, ipso docente, loquente, vel praedicante exceperunt. —

Tertio agitur: *determinare limites* in quibusdam eius operibus; hoc est, determinare *ubi eius labor personalis* desinit, et *ubi incipit Reportatio* seu *Reportatum* discipulorum aut audientium.

Quaestio de authenticitate operum s. Thomae iam saeculis praeteritis agitata est; ultimo hoc tempore ista quaestio inter viros eruditos denuo exarsit. Historiam huius quaestionis non narrabimus; solum quosdam praecipuos viros doctos nominabimus, qui de hac quaestione ex professo tractaverunt; sic studentes, qui circa hanc quaestionem magis instrui desiderant, scient, ad quos auctores recurrere possint. — De hac quaestione scripserunt:

Quétif J. et Echard J. O. P. *Scriptores Ordinis Praedicatorum.* T. I. pp. 283–347 (Parisiis 1719).

De Rubeis Bernardus O. P. *De gestis et scriptis ac doctrina S. Thomae Aquinatis. Dissertationes criticae et apologeticae.* Venetiis 1750. Denuo impressae in editione Leonina omnium operum s. Thomae T. I. pp. XLV–CCCXLVI (Romae 1882); dissertationes sunt triginta duae. — Isti duo auctores critice et scientifice procedunt in hac quaestione, ita ut qui post ipsos de hac re tractaverunt, magis vel minus supra eorum fundamentum aedificarunt.

Mandonnet P. P. O. P. *Des écrits authentiques de Saint Thomas d'Aquin.* Seconde édition. Fribourg (Suisse). 1910.

Michelitsch A. *Thomas Schriften. Untersuchungen über die Schriften Thomas von Aquin.* Vol. I. Graz 1913.

Grabmann M. *Die echten Schriften. des hl. Thomas von Aquin.* München 1920. (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters. Texte und Untersuchungen. Herausgegeben von C. Baeumker. B. XXII. H. 1–2).

6. — Opera s. Thomae, adhuc ipso vivente, magnam diffusionem et divulgationem nacta sunt; quae diffusio post eius mortem adhuc magis crevit. Argumentum huius diffusionis operum s. Thomae sunt pene innumerabiles codices manuscripti, qui etiam nunc in diversis bibliothecis Europae inveniuntur. — Arte autem typographica inventa, magis ac magis editiones operum s. Thomae multiplicabantur; iam in incunabulis artis ty-

pographicae singula opera saepius impressa prodierunt (1) et sic usque ad nostram aetatem editiones singulorum operum s. Thomae continue prodeunt. Numerare istas editiones difficile esset et pro scopo nostro supervacaneum; hic solum recensemus EDITIONES OMNIUM OPERUM S. THOMAE, quarum notitia studentibus utilis, imo et necessaria esse potest. Omnes istas editiones chronologice recensemus;

1) EDITIO PIANA. — Sic dicta, quia sub auspiciis s. Pii V. Summi Pontificis prima vice prodiit Romae a. 1570-1571, curantibus Fr. Vincentio Justiniani et Fr. Thoma Manriques O. P. — Habet voll. 17, in folio et vol. 18.$^{um}$ continet indices. — *Titulus* editionis: *Divi Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici, Ordinis Praedicatorum* OPERA OMNIA, *gratiis privilegiisque Pii V. Pont. Max. typis excussa...* — Romae, haeredes Antonii Bladi et Joannis Osmarini, 1570-71. — De hac editione De Rubeis in Dissert. XVI. n. 1. dicit: « Votis curisque adhibitis haud bene cessit, cum eadem scateat non paucis mendis Romana editio, purioresque ferme sint, quae iam antea prodierunt, (intellige quaedam singula opera). Menda nempe intelligo, quae vel incuriam typothetarum vel eorum, qui manuscriptos codices transcribebant, oscitantiam aut imperitiam causam habent! »

2) VENETA PRIMA. *Titulus: Divi Thomae Aquinatis...* OPERA OMNIA... *ad exemplar Romanae impressionis restituta.* Venetiis 1593-94, apud Dominicum Nicolinum et socios. Vol. 18 in fol.$^{io}$ — Cum haec editio sit eadem ac illa Piana anni 1570-71, « *omnibus inquinata mendis est, quibus editio Romana scatet,* » ait De Rubeis l. c. n. 3.

3) ANTVERPIENSIS. — Hanc editionem curavit Fr. Cosmas Morelles O. Praed. — *Titulus: Divi Thomae Aquinatis Doctoris Angelici* OPERA OMNIA, *ad fidem vetustissimorum codicum manuscriptorum et editorum emendata, aucta et cum exemplari Romano collata; per R. P. Fr. Cosmam Morelles S. T. D. in Coloniensi Academia Professorem et apud Praedicatores Regentem.* Antverpiae, apud Joannem Keerbergium. Anno 1610. Habet voll. 18 in fol.$^{io}$

---

(1) Iam an. 1461 Joannes Guttenberg edidit « Summam de articulis fidei » s. Thomae; — cfr. OTTINO G. Bibliografia. (Manuali Hoepli). Milano 1892, pagg. 9-10.

— Haec editio melior quam duae praecedentes est; quia maiore cum diligentia et critica curata fuit.

4) Parisiensis prima. — *Titulus : S. Thomae Aquinatis ex Ordine Praedicatorum, quinti Ecclesiae doctoris Angelici* Opera omnia, *ad fidem vetustissimorum codicum mss. et editorum emendata, aucta et cum exemplaribus Romano, Veneto et Antverpiensi accurate collata, nunc primum in Galliis prodeunt. Partim a Rev. Patre Joanne* Nicolai *ex Ordine Fratrum Praedicatorum Doctore Theologo Parisiensi et in maiori Conventu Primario Professore a mendis expurgata et notis marginalibus illustrata ; partim ab aliis Patribus eiusdem Ordinis emendata...* Parisiis, apud societatem Bibliopolarum, via Jacobea, 1660. — Habet voll. 23 in fol.io

5) Veneta secunda. — Hanc editionem curavit Fr. Io. Fran. Bernardus M. De Rubeis, O. P. « eo animo ut operum certe, quae a s. Thoma Aquinate elucubrata sunt, editionis, quae omnium accuratissima aliquando perfici queat, specimen saltem exhiberet. » Morte praeventus hanc editionem De Rubeis perficere non potuit, ideo post eius mortem alii continuarunt; est tamen imperfecta, nam quaedam opera s. Thomae non sunt impressa. *Titulus: Divi Thomae Aquinatis Doctoris Angelici Ordinis Praedicatorum* Opera. *Editio altera Veneta ad plurima exempla comparata et emendata. Accedunt vita, seu elogium eius a Jacobo Echardo diligentissime concinnatum, et Bernardi Mariae De Rubeis in singula admonitiones praeviae.* Venetiis cudebat Jos. Bettinelli, 1745–1760, 1765–1788. — Habet 28 voll. in 4°.

6) Parmensis. — *Titulus: Sancti Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici* Opera omnia, *ad fidem optimarum editionum accurate recognita.* Tipis P. Fiaccadori, Parmae 1852–1872. Habet 25 voll. in fol.

7) Parisiensis secunda. — Haec editio prodiit Parisiis apud *Ludovicum Vivès, et titulum* habet: *Doctoris Angelici Divi Thomae Aquinatis...* opera omnia *sive antehac excusa, sive etiam anecdota... notis historicis, criticis, philosophicis... ornata, studio... S. E.* Fretté *et* P. Maré... L. Vivès, Parisiis, 1871–1882. — Habet 34 voll. in 4°. — Hae duae ultimae editiones non sunt ita accuratae et erroribus typographicis scatent.

8) Leonina. — Haec editio incepit typis vulgari *iussu Leonis XIII* Pontif. Maximi, curantibus FFr. Ordinis Praedicatorum a. 1882. — *Titulus: Sancti Thomae Aquinatis Doctoris An-*

*gelici* OPERA OMNIA *iussu impensaque Leonis XIII P. M. edita.* Romae, ex typographia polyglotta S. C. de Propaganda fide 1882. — Hucusque prodierunt voll. 13. Editio haec critica omnium optima est.

NOTANDUM. — In quibusdam editionibus operum s. Thomae inveniuntur non solum eius opera *authentica*, sed etiam *dubia* et *spuria*. In texendo cathalogo operum s. Doctoris recensebimus solum opera authentica et illa, de quorum authenticitate quidam dubitant. — Recensionis methodus haec est: primo indicamus TEMPUS COMPOSITIONIS OPERIS iuxta opus: MANDONNET P. ET DESTREZ J. O. P. *Bibliographie tomiste.* Le Saulchoir, Kain (Belgique) 1921; — dein breviter exponemus ARGUMENTUM de quo in opere agitur; — postea indicamus tres auctores: MANDONNET, MICHELITSCH, GRABMANN (iam supra nominatos), apud quos inveniuntur argumenta PRO AUTHENTICITATE eiusdem operis; ultimo significamus *tomum* quatuor EDITIONUM PRINCIPALIUM OMNIUM OPERUM s. Thomae, in quo nominatum opus invenitur. Editiones ex supra assignatis sunt: *Piana* (a. 1570-71); — *Parmensis* (1852-72); — *L. Vivès* (1871-1882); — *Leonina* (1882...). — Ordo articulorum hic est: I. Commentarii in opera Aristotelis. II. Opera maiora theologica et philosophica. III. Commentarii in S. Scripturam. IV. Opuscula

***

Adiicimus hic brevem **bibliographiam** circa *authenticitatem* operum s. Thomae. — Saeculo XV. Fr. THEOPHILUS CREMONENSIS O. P. tractavit de authenticitate commentariorum s. Thomae in Aristotelem in opere: « Commentaria s. Thomae de Aquino ad varios codices ms recognita et a notariorum mendis expurgata in Aristotelis libros octo physicorum, de coelo et mundo, de generatione et corruptione, metheororum, de anima, de sensu et sensato, de memoria et reminiscentia, decem metaphysicorum, de causis, decem ethicorum, politicorum, etc.». Venetiis apud Bonetum Locatellum 1471 in fol. De hoc auctore cfr. Quétif-Echard, Scriptores O. P. I. p. 286 et 847; Grabmann, o. c. p. 16-17. — Saeculo XVI. Fr. HIERONIMUS VIELMIUS O. P. edidit opus: « *De D. Thomae Aquinatis doctrina et scriptis libri duo*»: Patavii, Pasqualii in 4°. - Fr. JOANNES AMBROSIUS BARBAVARA O. P. scripsit: « *Censuram opusculorum, quae sub divi Thomae Aquinatis titulo hactenus prodiere, ad reverendissimum patrem magistrum Caballum brixiensem Ordinis sancti Dominici, Generalem Inquisitorem et in Romana Curia Procuratorem* ». Opus non est impressum. Illud adhibuit Fr. B. De Rubeis in suis Disserta-

tionibus. Cfr. Dissert. XIX. cap 1. n. 3, editionis Leoninae vol. I, p. CCXXXVII. — Saeculo XVII. Antonius Possevinus S J. egit praesertim de authenticitate opusculorum in opere: « *Apparatus sacer ad scriptores V. et N. F. eorum interpretes... theologos scholasticos...* » Vol. II. Venetiis 1606, p 295-300. Fr. Paulus Nazarius O. P. scripsit « *Opuscula varia theologica et philosophica* » Vol. 2. Bononiae 1631-1632. In primo volumine invenitur opusculum: « *De scriptis D. Thomae Aquinatis dissertatio critica* ». — Fr. Petrus de Alva y Astorga O. M. in opere: « *Nodus indissolubilis de Conceptu mentis et Conceptu ventris* » Bruxellis 1661 et 1663, agit de auctoritate et scriptis s. Thomae. Auctor nimio studio partium adictus magnas turbas excitavit; vide Grabmann, o. c. p. 28-29. — Saeculo XVIII. Fr. Thomas Luccioni O. P. edidit: « *Elucidarium vitae et operum D. Thomae Aquinatis doctoris olim communis inde Angelici offert pio ac benevolo lectori Fr. Thomas Luccioni O. P.* » Genuae 1705. - J. Quétif et J. Echard O. P. in opere supra laudato. — Fr. A. Touron: « *La vie de St. Thomas avec un exposé de sa doctrine et de ses ouvrages* ». Parisiis 1734. — Fr. Bernardus de Rubeis O. P. in opere supra laudato. — Saeculo XIX. Carolus Werner: « *Thomas von Aquin* ». Regensburg, 1858, Voll. 3. In primo volumine agit de operibus s. Thomae. — Ch. Jourdain, « *La philosophie de St. Thomas d'Aquin* ». Paris 1858, 2 Voll., in primo volumine tractat de authenticitate operum s. Thomae. — U. Chevalier, *Catalogue critique des oeuvres de St. Thomas d'Aquin*. Romans 1886. — Antonius Berjon y Vasquez, *Estudios criticos aserca de las obras de Santo Tomás de Aquino*. Madrid 1899. — Saeculo XX. I. Wild, *Ueber die Echtheit einiger Opuscula des hl. Thomas* », in « Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie », XX. (1906) p. 61-71; XXII. (1907) 290-310. — P. Mandonnet O. P. in opere supra laudato. — A. Michelitsch, in opere supra laudato. — Fr. Pelster, S. J., « *Der Katalog des Bartholomaeus von Capua und die Echtheitsfrage bei den Schriften des hl. Thomas von Aquino* », in « Zeitschrift für Katholische Theologie » XLI (1911) p. 820-832. — M Grabmann, in opere supra laudato. — Ulteriorem bibliographiam cfr. in opere iam laudato: Mandonnet et Destrez, Bibliographie; et in « Bulletin Thomiste » organe de la société thomiste, 31 Avenue du Château, Bellevue (Seine-et-Oise) I. Année (1924).

Chronologiam operum s. Thomae ultimo hoc tempore conati sunt ordinare praesertim P. Mandonnet in opere laudato: *Bibliographie*. Idem auctor iam anno 1920 scripserat in « Revue des sciences philosophiques et théologiques » p. 142-152: *Chronologie sommaire de la vie et des écrits de saint Thomas*. — C. J. Mausbach, *Thomas von Aquin* in Kirchenlexikon, XI. 1632-1638, (Freiburg in B. Herder 1899). — Fr. J. J. Berthier O. P. *Sanctus Thomas Aquinas Doctor communis Ecclesiae*. Vol. I. Romae 1914, pp. XLI XLVI. — M. Grabmann, *Thomas von Aquin. Eine Einführung in seine Persönlichkeit und Gedankenwelt*. Kempten u. München 1917, pp. 14-20. — Franc. Scandone, *La vita, la famiglia e la patria di s. Tommaso* in: « S. Tommaso d'Aquino O. P. Miscellanea storico-artistica ». Roma 1924, pp. 37-40.

## I.

# COMMENTARII IN OPERA ARISTOTELIS

S. Thomas multa Aristotelis opera suis commentariis exornavit, qui pro eius doctrina philosophica et theologica intelligenda maximi momenti sunt.

Provectum aetate Aquinatem in id genus operum maiorem ac praecipuam saltem partem incubuisse, nempe postquam prima vice de Parisiis in Italiam rediit, — vetusta monumenta tradunt (1).

Causa, ob quam ad aetatem provectam tantum laborem distulerit, videtur fuisse defficientia bonae versionis latinae operum Aristotelis, qua ad eius instantiam facta per Fr. Guilelmum de Moerbeka O. P., opera Aristotelis suis commentariis illustrare agressus est (2).

« In exponendo autem litteraliter Aristotelem non habuit aequalem, unde a philosophis Expositor per excellentiam nominatur (3).

« Scrutatur Angelicus textum Aristotelis, et in antecessum succinta ac perlucida analysi argumentum eiusque partes principales ac subdivisiones ob oculos ponit; deinde ad partes singillatim interpretandas procedit; nec in cortice litterae sistit, sed ad medullam penetrat; ita ut miretur lector tantas divitias in Philosopho esse, quae prima fronte haud conspiciuntur. Verum non Aristotelis mentem solum recitat Angelicus, sed de thesauro suo multa profert, Stagiritae doctrinam mirifice amplificando, corrigendo ubi opus est, illustrando semper, ita nempe ut Ex-

(1) Cfr. De Rubeis, Dissert. XXIII. Cap. I n. 1.

(2) De Rubeis, l. c. Cap. II. — Mandonnet P. O. P. *Siger de Brabant et l'Averroïsme latin au XIII.me siècle.* Fribourg (Suisse) 1899, p. LIV. — M. Grabmann, *Forschungen über die lateinischen Aristotelesübersetzungen des 13 Jahrhunderts.* (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, herausg. v. C. Baeumker XVII. 5 6) Münster 1916, ibi de versionibus graecis de Moerbeka passim.

(3) Fr Ludovicus De Valleoleti O. P. in brevi historia, quam scripsit conventus Parisiensis, apud editores edit. Leoninae T. I.i in Praefatione. Fr. Ludovicus de Valleoleti florebat prima medietate saeculi XV.; de illo Quétif-Echard. *Scriptores Ord. Praed.* I, p. 789-790.

positor Aristotele sapientior videatur » (1). — Ideo animadvertendum est, quod in commentariis operum Aristotelis dupliciter se gerit Angelicus. Aliquando enim tantummodo *exponit* fideliter mentem Philosophi. Aliquando vero quaedam *adiungit* proprio marte ad uberiorem sententiae explicationem vel ad hoc quod cum aliis principiis conectatur. In primo casu quandoque evenit, ut Angelicus propriam celet opinionem Aristoteli contrariam, quae tunc in propriis s. Thomae operibus quaerenda est.

Ad maiorem studentium intelligentiam subiicimus hic *catalogum operum Aristotelis*, ut facilius perspiciatur, quae eius opera s. Thomas suis commentariis illustraverit; opera commentariis exornata literis italicis signamus.

---

## Opera Aristotelis (2)

### 1.

### Opera logica Organon etiam dicta.

1. Categoriae seu Praedicamenta.
2. *De interpretatione.*
3. Analytica priora.
4. *Analytica posteriora.*
5. Topica.
6. De sophisticis elenchis.

---

(1) Editores Leonini in Praefatione T. I.i

(2) En quaedam editiones operum Aristotelis: Aristoteles graece. *Ex recensione Immanuelis* Bekkeri. Ed. Academia regia Borussica. Voll. I-II. Berolini 1831. — Aristoteles latine. *Interpretibus variis.* Ed. Academia regia Borussica. Vol. III. Berolini 1831. — Scholia in Aristotelem. *Collegit Christianus August. Brandis.* Ed. Academia regia Borussica. Vol. IV. Berolini 1836. — Aristotelis opera. Ed. Academia regia Borussica. Vol. V. *Aristotelis qui ferebantur librorum* fragmenta. *Scholiorum in Aristotelem supplementum. Index Aristotelicus.* Berolini 1870.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ. Aristotelis opera omnia. *Graece et latine cum indice nominum et rerum absolutissimo.* Parisiis, editore Ambr. Firmin Didot. 1848-1873. Voll. 5. — De operibus Aristotelis cfr. Ueberweg-Heinz, *Grundriss der Geschichte der Philosophie.* I. B. *Das Altertum,* edit. 11 pp. 363 sqq. — Marcone *Ram. O. S. B. Historia philosophiae.* Vol. I. Romae 1913, p. 235-236. — L. Robin, *La pensée grecque.* Paris, La renaissance du livre, 1923, pp. 289-294.

## 2.

## Physica.

1. *Physica auscultatio.*
2. *De coelo.*
3. De mundo; — spurius habetur.
4. *De Generatione et corruptione.*
5. *Meteorologica.*
6. *De anima.*
7. *De sensu et sensibili.*
8. *De memoria et reminiscentia.*
9. De somno et vigilia.
10. De insomniis et divinatione per somnium.
11. De longitudine et brevitate vitae.
12. De iuventute et senectute.
13. De vita et morte.
14. De respiratione.
15. De spiritu; — spurius habetur.
16. Historiae animalium.
17. De partibus animalium.
18. De motu animalium; — spurius habetur.
19. De incessu animalium.
20. De generatione animalium.
21. De coloribus; — spurius habetur.
22. De audibilibus.
23. Physiognomia; — spurius habetur.
24. De plantis; — spurius habetur.
25. De mirabilibus auscultationibus; — spurius habetur.
26. Mechanica; — spurius habetur.
27. Problemata.
28 De insecabilibus lineis; — spurius habetur.

## 3.

## Metaphysica.

*Metaphysicorum ll. 14.*

## 4.

## Ethica.

1. *Ethica Nicomachea.*
2. Moralia magna.
3. Ethica ad Eudemum.
4. De virtutibus et vitiis; — habetur spurius.
5. *Politica.*
6. Oeconomia; — spurius habetur.
7. Ars rhetorica.
8. Rhetorica ad Alexandrum; — spurius habetur.
9. De poetica.

## I.

### In libros perihermeneias expositio.

Occasio operis. — Occasionem huic commentario dedit *Praepositus Lovaniensis*, uti patet ex epistola nuncupatoria ipsi commentario praemissa. Ibi legitur: « *Diligentiae tuae, qua in iuvenili aetate, studio provocatus et desiderio satisfacere cupiens, libro Aristotelis, qui Peri hermenias dicitur, multis obscuritatibus involuto, inter multiplices occupationum mearum sollicitudines, expositionem adhibere curavi...* ».

Tempus compositionis. — Hoc opus composuit s. Doctor, cum secunda vice scholam Parisiensem regeret, scilicet a. 1269-1271 (1).

Argumentum et divisio operis. — Apud graecos opus istud Peri hermeneias unico libro continetur, at in duos libros a latinis interpretibus divisum passim reperitur. Primus liber priora novem capita (I-IX); alter reliqua quinque (X-XIV) complectitur. — In sua expositione hanc divisionem secutus est s. Thomas. Primo quidem exponit *Prooemium* ipsius Aristotelis, declarando triplicem esse operationem intellectus : simplicem apprehensionem, iudicium et ratiocinium, de quibus logica versatur. « De his igitur, » inquit, « quae pertinent ad primam operationem intellectus, id est de his quae simplici intellectu concipiuntur, determinat Aristoteles in libro Praedicamentorum. De his vero, quae pertinent ad secundam operationem, scilicet de enunciatione affirmativa et negativa, determinat Philosophus in libro Perihermeneias. De his vero, quae pertinent ad tertiam operationem determinat in libro Priorum et in consequentibus, in quibus agitur de syllogismo simpliciter et de diversis syllogismorum et argumentationum speciebus, quibus ratio de uno procedit ad aliud. Et ideo secundum praedictum ordinem trium operationum liber Praedicamentorum ordinatur ad librum Perihermeneias, qui ordinatur ad librum Priorum et sequentes. » — Declarato Prooemio in prima lectione, s. Doctor pergit exponere per lectiones, quae simul sunt quindecim, *primum librum*, cuius argumentum est enunciatio simpliciter considerata. Dein prosequitur interpretari *secundum librum*, qui agit de enunciatione secundum quod diversificatur per aliquid sibi additum. At solum *duas lectiones* perfecit

in decimum caput, seu in primum caput secundi libri; ulterius sua commentaria in hunc librum prosecutus non est. Causa huius abruptionis incerta manet. Hoc opus ergo s. Thomae inter eius *opera incompleta* adnumerandum est. — Quidam alii istos commentarios ad finem perduxerunt; inter quos numerandus est fine saeculi XV. (1496) *Cardinalis Caietanus*, qui a lectione tertia secundi libri usque ad finem capitis decimiquarti per lectiones (ultima decimaquarta) interpretationem prosecutus est.

Authenticitas. — Hoc opus genuinum esse s. Thomae, modo supra explicato, nullus in dubium ponit. Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 1. — Michelitsch, o. c. 177, n. 1 et p. 189, n. 116. — Grabmann, o. c. p. 202-203.

Editiones. — Piana T. I. 1. — Parmensis T. XVIII. 1. — Vivès T. XXII. 1. — Leonina T. I. 8-85. Caietani commentaria in eodem T. p. 87-128.

(1) Mandonnet, Bibliographie, p. XII n. 1.

## 2.

### In primum et secundum libros posteriorum Analyticorum expositio.

Tempus compositionis huius operis P. Mandonnet (1) assignat circa an. 1268.

Divisio et argumentum. — Dividitur tractatus iste in *duos libros*, quorum primus est de syllogismo demonstrativo; alter vero de principiis eius. — Librum primum divisum in XXXIII capita s. Doctor illustrat XLIV lectionibus; secundum librum divisum in XV capita interpretatur per XX lectiones.

Authenticitas operis ad omnibus admittitur — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 2. — Michelitsch, p. 177, n. 2. — Grabmann, p. 203.

Editiones: Piana T. I. 16. — Parmensis T. XVIII. 84. — Vivès T. XXII. 103. — Leonina T. I. 137.

(1) Bibliographie, p. XII. n. 2.

## 3.

### In octo libros Phisycorum expositio.

Tempus elucubrationis. — Composuit s. Thomas hoc opus in Italia post annum 1261. P. Mandonnet (1) statuit circa annum 1265.

Argumentum et divisio. — *Liber Physicorum* Aristotelis, qui etiam dicitur *de physico sive naturali auditu* vel *de physica auscultatione*, agit de illis, « quae in philosophia agitari solent circa res naturales in communi consideratas. Scrutatur enim auctor prima principia, quibus res naturales generantur, vel constituuntur; agit de natura et causis, de motu, de infinito, de loco, de vacuo, de tempore, de continuo; plura praeclare explicat de variis speciebus mutationum, de motuum unitate et contrarietate, de comparatione motuum ac de conditionibus ad motum requisitis; ac demum assurgit ad probandam existentiam et naturam primae causae omnium mutationum, nempe ad demonstrandam existentiam unius primi moventis immobilis. Praeter multa ergo, quae ad metaphysicam pertinent, continet hic liber totam illam partem philosophiae, quae nunc appellari solet in scholis *Cosmologia*, et quae prius appellabatur *Physica generalis*. » (2) — Divisum est opus in octo libros; libri autem subdividuntur in diversa capita. Doctor Angelicus hoc opus Aristotelis explicat per lectiones: primum librum quindecim lectionibus; secundum pariter quindecim lectionibus; ad declarandum tertium tredecim, quartum viginti tres, quintum decem, sextum tredecim, septimum novem, octavum viginti tres scribit lectiones.

Authenticitas horum commentariorum uno ore ab omnibus proclamatur. — Cfr. Mandonnet o. c. p. 104, n. 3. — Michelitsch, p. 177, n. 3. — Grabmann, p. 203,

Editiones: Piana T. II. 1. — Parmensis T. XVIII. 226. — Vivès T. XXII. 292. — Leonina T. II. 3.

---

(1) Bibliographie. p. XII. n. 3.
(2) Editores Leonini in Praefatione in hunc librum p. VI.

## 4.

### In libros de coelo et mundo expositio.

Tempus elucubrationis. — Sub pontificatu Gregorii X, annis 1272-1273. (1)

Argumentum. — « Titulus et subiectum huius operis, quod apud Graecos dicitur simpliciter de Coelo, explicantur ab ipso s. Thoma in prooemio, quod ad suum commentarium praemittit. Ibi enim exponit et ad examen revocat opiniones super hac re antiquorum commentatorum Alexandri, Syriani, Iamblichi et Simplicii et concludit, rationabiliorem videri sententiam Alexandri, *qui opinatus est, quod subiectum, de quo principaliter in hoc libro agitur, sit ipsum universum. Unde cum* coelum *tripliciter dicatur, quandoque ipsa ultima sphaera, quandoque totum corpus, quod circulariter movetur, quandoque ipsum universum, asserit hunc librum intitulari de Caelo, quasi de Universo vel de mundo* (2) ». — Opus dividitur in quatuor libros. In primo libro determinatur de ipso universo corporeo; - in secundo determinatur de corporibus coelestibus; — in tertio et quarto agitur de corporibus simplicibus seu de elementis. — S. Doctor ergo in suum commentarium *prooemium* praemittit, deim commentatur *primum librum* per vigintinovem lectiones; a lectione XXII usque ad finem primi libri versat s. Thomas cum Aristotele quaestionem tantopere agitatam de origine et duratione mundi; utrum scilicet mundus sit genitus vel ingenitus, corruptibilis, vel incorruptibilis. Commentarius in *secundum librum* habet lectiones viginti octo; commentarius autem in *librum tertium* habet solummodo lectiones octo. — Ulterius autem s. Doctor suos commentarios in hoc opus Aristotelis non est prosecutus; unde illud *incompletum* reliquit. Supplevit autem suis commentariis in tertium et in totum quartum librum *Petrus de Alvernia*. (3)

Authenticitas — a nullo in dubium vocatur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 4. — Michelitsch, p. 177, n. 4 et p. 189, n. 120. — Grabmann, p. 203-204.

Editiones: Piana T. II (4). — Parmensis T. XIX. I. — Vivès T. XXIII. 1 — Leonina T. III. 1.

(1) Mandonnet, Bibliographie, p. XII. n. 4.

(2) Editores Leonini in Praepatione in hunc librum, p. V.

(3) *De Petro de Alvernia* cfr. Quétif-Echard, *Script. Ord. Praed.* T. I. p. 489 et editores Leoninos p. XII-XIII in Praefatione huius tomi.

(4) Numeratio paginarum in multis tomis editionis Pianae non est continua sed novo opere, nova numeratio incipit.

## 5.

### In libros de generatione et corruptione expositio.

Tempus compositionis. — Tempore pontificatus Gregorii X. s. Doctor hoc opus composuit; imo Guilelmus de Tocco in processu canonizationis dixit, *quod vidit eum scribentem super librum de Generatione et Corruptione; quod credit fuisse ultimum opus suum in philosophia* (1). — Mandonnet (2) statuit an. 1272-1273.

Argumentum et divisio. — In hoc opere Aristoteles « agit de ipsis elementis, quatenus motui generationis et corruptionis subiiciuntur et veniunt in compositionem corporum mixtorum. Unde primo sermonem instituit de generatione et corruptione in communi, deque illis motibus qui vel praeexiguntur ad has transmutationes, vel ipsas comitantur. Deinde naturam elementorum investigat et de modo disserit, tum quo elementa transmutantur in invicem, tum quo ex elementis constituuntur corpora mixta. » (3) — Opus est divisum in duos libros, qui in capita subdividuntur. — Primum ergo s. Doctor *prooemium* praemittit suis elucubrationibus, in quo prooemio de subiecto et materia huius operis agit; dein per lectiones explicat primum librum usque ad cap. V. Suis autem explicationibus *pervenit usque ad lectionem decimam septimam inclusive,* et ulterius non est prosecutus; unde haec expositio s. Thomae *de Generatione et Corruptione* inter eius *opera incompleta* numeranda est.

Authenticitas. — Multi putaverunt s. Thomam suas elucubrationes super duos integros libros de Generatione et Corruptione scripsisse, et ita quaedam editiones operum s. Tho-

mae integram expositionem in duos libros ei adiudicant. At nunc certum est *genuinam s. Thomae expositionem absolvi* sicut supra diximus, *cum lectione XVII. primi libri*, posteriores vero octo lectiones in primum librum et reliquae duodecim in secundum ad eum non pertinent. — Cui autem illae expositiones tribuendae sint, non est facile determinare. Quidam illas attribuunt *Fr. Thomae de Suthona* O. P. (4), at editores editionis Leoninae scribunt: « Hoc unum nobis certo constat, supplementum fratris *Thomae de Suthona*, quod extare diximus in codice Oxoniensi... diversum omnino esse a continuatione, quae in Piana et aliis editionibus habetur. » (5) — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 5. — Michelitsch, p. 177, n. 4; et p. 189, n. 120. — Grabmann, p. 204-205.

Editiones: Piana, T. II. — Parmensis, T. XIX. 208. — Vivés, T. XXIII. 267. — Leonina T. III. 261.

---

(1) Apud De Rubeis, Dissert. XXIII. Cap. III. n. 1.

(2) Bibliographie, p. XII. n. 5.

(3) Editores Leonini in Praefatione in hunc librum p. XIX.

(4) De *Fr. Thoma de Suthona* cfr. Quétif-Echard. *Scrip. Ord. Praed.* I. 464. Card. Fran. Ehrle: *Fr. Thomas de Sutton, seine Quodlibeta und seine Quaestiones disputatae*, in « Festschrift der Görresgesellschaft für Georg von Hertling » Kempten u. München 1913, p. 436-460. - Fran. Pelster S. I.; *Thomas von Sutton O. P. ein Oxforder Verteidiger der thomistischen Lehre*, in « Zeitschrift für Kath Theolog. » 46, (1922) pp. 212-233, 361-401.

(5) In Praefatione huius tomi p. XXIV, ubi etiam de hac quaestione agunt pp. XIX-XXV.

## 6.

### In libros meteorologicorum expositio.

Tempus elucubrationis. — P. Mandonnet (1) assignat a. 1269-1271.

Argumentum et divisio. — Aristoteles in opere de Generatione et Corruptione determinavit de transmutationibus elementorum in communi; in hoc autem opere agit de singulis speciebus transmutationum, quae circa ipsa elementa accidunt. — Opus divisum est in *quatuor libros;* libri autem subdividuntur in capita. « Tribus prioribus libris agitur de particularibus elemen-

torum transmutationibus, quibus secumdum se transmutantur; in quarto de transmutationibus elementorum, secundum quod haec veniunt in compositionem mixti. » (2) — Sic ergo s. Doctor illustrat suis commentariis hoc opus Aristotelis more suo solito per lectiones. — *Primum librum* illustrat septemdecim lectionibus; in quarum prima agit de intentione Aristotelis in praesenti libro; in caeteris autem etiam, inter alia, de nubibus, de meteoris, quae aliquando apparent in nocte; de cometis, de lacteo circulo, de pluvia, rore, et pruina, de grandine, de fluviis etc. — *Librum autem secundum* illustrat usque ad caput V. decem lectionibus. In his lectionibus loquitur inter alia de mari et de eius salsedine, duratione; de generatione ventorum, augmento et diminutione ventorum etc. — Ultra decimam lectionem s. Doctor non est prosecutus elucubrare suis commentariis hoc opus Aristotelis; consequenter commentarii in libros Meteorologicorum Aristotelis numerandi sunt inter *opera incompleta s. Thomae.*

Authenticitas. — Quidam opinati sunt, s. Doctori totam commentationem in quatuor libros Aristotelis Meteorologicorum, quae habetur in editione Piana, tribuendam esse; at nunc certum est, Doctori Angelico solum septem et decem lectiones in primum et decem priores in secundum Meteorologicorum librum tribuendas esse; reliquas autem lectiones, quae habentur in editione Piana, hoc est ab undecima lectione secundi libri ad finem usque operis, illi abiudicandas esse. — Supplementum autem secundi libri et caeterae lectiones in tertium librum pertinent ad *Petrum de Alvernia.* (3). Cui autem illae lectiones in quartum librum pertineant, cum certitudine responderi non potest. Grabmann putat forsam illos *Fr. Joanni Quidort*, O. P. Parisiensi (4) tribuendas esse. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 6. — Michelitsch, p. 177, n. 6, et p. 189, n. 121. — Grabmann, p. 205.

Editiones; Piana T. III. — Parmensis T. XIX. 300. — Vivés T. XXIII. 387. — Leonina III. 325.

---

(1) Bibliographie, p. XIII. n. 6.

(2) Editores Leonini in Praefatione in hoc opus p. XXIX.

(3) Editores Leonini in Praefatione in hoc opus p. XXXI-XXXVII. — Quétif-Echard, *Scrip. O. Praed.* T. I. p. 489.

(4) *De Fr. Joanne Quidort* cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 500 sg. — M. Grabmann, *Studien zu Joannes Quidort von Paris O. Pr.* Sitzungsberichte der bayrischen Akademie der Wissenschaften 1922, Philosophisch philologische, und historische Klasse, 3. Abhandlung, p. 38 ss.

## 7.

### In libros de Anima expositio.

Tempus compositionis — Mandonnet (1) dicit circa a. 1266.

Divisio et argumentum. — Dividitur hoc opus Aristotelis in *tres libros.* — In *primo libro,* exposita dignitate, utilitate et difficultate scientiae de anima, refert Aristoteles et examinat antiquorum opiniones circa illam. Hunc librum s. Thomas declarat *quatuordecim lectionibus.* — In *secundo libro* Aristoteles incipit agere de anima iuxta propriam sententiam, et quidem de anima in communi, de eius essentia et definitione; dein distinguens quinque potentias animae, agit in particulari de anima vegetativa et eius potentiis; de anima sensitiva ac de sensu in genere necnon de quinque sensibus externis in particulari. Omnem istam doctrinam Aristotelis de anima, quae in secundo libro continetur, Doctor Angelicus illustrat *viginti quatuor lectionibus.* In *tertio libro* agit Aristoteles de sensibus internis et de differentia sensus ab intellectu; de anima intellectiva; de anima locomotiva et appetitiva, et dein de ordine partium animae inter se. Hunc tertium librum s. Thomas commentatus est *duodeviginti lectionibus.*

Authenticitas. — Circa authenticitatem huius operis s. Thomae notandum est, quod primus liber est *Reportatum Fr. Reginaldi de Piperno* (2); ergo lectiones in hunc librum ex ore s. Thomae excepit; librum secundum et tertium s. Doctor proprio stilo exaravit. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 7-8; — Michelitsch, p. 177, n. 7 et p. 187, n. 87. — Grabmann, p. 205-206.

Editiones: Piana T. III. -- Parmensis T. XX. 1. — Vivés T. XXIV. 1. Leonina... (3).

---

(1) Bibliographie, p. XIII n. 7.

(2) *Fr. Reginaldus de Piperno* O. P. fuit socius et confessarius S. Thomae. Non solum *primum librum de Anima* excepit ex ore s. Thomae, sed etiam quaedam alia opera, ut videbimus. — De illo cfr. Quétif-Echard, o. c. I. p. 382. — Grabmann, *La scuola tomistica italiana nel XIII e principio del XIV secolo,* in eph. « Rivista di filosofia neoscolastica », Milano, Anno XV. (1923) p. 102. — Taurisano I., O. P. *Discepoli e biografi di s. Tommaso* — in « S.Tommaso d'Aquino O. P. Miscellanea storico-artistica. » Roma 1924, p. 118-120.

(3) In editione Leonina alii commentarii s. Thomae in opera Aristotelis nondum prodierunt, nam Leo XIII. Sum. Pont. a. 1886 voluit, ut ad edendam

utramque Summam (theologicam scil. et contra Gentiles) s. Thomae editores quantocius se acingerent. Cfr. Litt. Leonis XIII. S. P. ad cardinales J. Simeoni et Th. Zigliara in principio tomi IV. editionis leoninae.

Nota: Editiones recentiores particulares: *D. Thomae Aq. Commentarii in tres ll. de Anima.* Louvain, 1901. — *S. Thomae... In Aristotelis librum de Anima commentarium.* Cura et studio. *P. A. Pirotta O. P.* Taurini, Marietti 1925.

## 8.

### In librum de sensu et sensato expositio (1).

Tempus compositionis — P. Mandonnet (2) statuit circa annum 1266.

Argmentum huius operis. — In libris de Anima Aristoteles agit de sensibus solum in quantum sunt potentiae, — in hoc autem opere, in septem capita diviso, agit de sensibus in quantum etiam spectant ad corpus ac recipiuntur in organo corporeo. At quia de sensibus auditus et tactus satis egit in lib. II. de Anima, ideo circa illos nihil addit, sed disserit circa tres reliquos sensus: visus, gustus et odoratus. Exponit opiniones quorundam antiquorum et eorundem sensuum naturam declarat. S. Doctor una de viginti lectionibus illustrat hoc opus Aristotelis.

Authenticitas nullum dubium ingerit. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 9. — Michelitsch, p. 177, n. 8. — Grabmann, p. 206.

Editiones: Piana T. III. — Parmensis T. XX. 145. — Vivès T. XXIV. 197.

---

(1) Alii : *De sensu et sensibili.*

(2) Bibliographie, p. XIII n. 9.

## 9.

### In librum de memoria et reminiscentia expositio.

Tempus elucubrationis — P. Mandonnet (1) assignat circa annum 1266.

Argumentum. — Opusculum hoc Aristotelis intime coniunctum est cum eius opere *De Anima* et cum illo *De Sensu et*

*Sensato*, nam tamquam prosecutio utriusque considerari potest. In illo Aristoteles agit: primo de memoria quid sit, et ad quam animae partem pertineat; dein inquirit, quid sit reminiscentia et in quo a memoria differat. — Totum hoc opusculum Aristotelis s. Doctor illustrat *octo lectionibus*.

Authenticitas — huius operis s. Thomae nulli dubia est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 10. — Michelitsch, p. 177, n 9. — Grabmann, p. 206.

Editiones: Piana T. III. — Parmensis T. XX. 197. — Vivès T. XXIV. 269.

---

(1) Bibliographie, p. XIII. n. 10.

## 10.

### In duodecim libros Metaphysicorum expositio.

Tempus compositionis — P. Mandonnet (1) statuit circa annum 1265.

Argumentum operis. — Opus hoc Aristotelis divisum est in XIV. libros. In primo libro — praemisso *Prooemio*, in quo probat Metaphysicam versari circa primas causas et prima principia — proponit et refellit opiniones praecedentium philosophorum circa primas causas; in sequentibus libris accedit ad veritatem determinandam. — A *libro secundo ad decimum inclusive* agit de rationibus communibus enti materiali et immateriali; quatuor ultimis libris considerat ens immateriale, hoc est, substantias separatas a materia et sensibilibus; ita tamen ut *libro undecimo et prima parte libri duodecimi* recolit iam dicta in primis decem libris metaphysicorum, dein *parte secunda libri duodecimi* tractat de Deo secundum suam propriam sententiam; *libro decimo tertio* et *decimo quarto* agit de Deo et de substantiis separatis secundum opinionem aliorum. — In interpretatione huius operis Aristotelis s. Thomas hunc ordinem secutus est. Primo *Prologum* praemittit dein XVII lectionibus *primum librum* interpretatur; — *librum secundum* interpretatur V lectionibus; — *librum tertium* XV lectionibus; — *librum quartum* XVII lectio-

nibus; — *librum quintum* XXII lectionibus; — *librum sextum* IV lectionibus; — *librum septimum* XVII lectionibus; — *librum octavum* V lectionibus; — *librum nonum* XI lectionibus; — *librum decimum* XII lectionibus; — *librum undecimum* XIII lectionibus; — *librum duodecimum* XII lectionibus. — *Librum decimum tertium* et *decimum quartum* Metaphysicorum Aristotelis s. Thomas non est interpretatus.

Authenticitas huius operis s. Thomae omnibus certissima est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 11. — Michelitsch, p. 178, n. 10. — Grabmann, p. 206.

Editiones: Piana T. IV. — Parmensis T. XX. 245. — Vivès T. XXIV. 233.

---

(1) Bibliographie, p. XIII. n. 11. — Grabmann o. c. p. 60 dicit, tempus lucubrationis huius expositionis ponendum esse post mensem Martium anni 1266, quia in lectione 2.ª libri III. allegatur commentarius Simplicii in Categorias; commentarius autem iste versus est in linguam latinam a Guil. de Moerbeka mense Martio anni 1266.

*Nota:* Editio specialis: *S. Thomae... In Metaphysicam Aristotelis Commentaria.* Ed *Fr. R. Cathala* O. P. Taurini (Marietti) 1915.

## 11.

### In decem libros Ethicorum expositio.

Tempus elucubrationis. — Exposuit hoc opus Aristotelis s. Thomas, dicit P. Mandonet (1), circa annum 1266.

Argumentum et divisio operis. — In libris Ethicorum, qui etiam *Ethica Nicomachea* dicuntur, Aristoteles agit de actionibus humanis; unde s. Doctor declarans finem huius operis in prima lectione dicit: *Sic ergo moralis philosophiae, circa quam versatur praesens intentio, proprium est considerare operationes humanas, secundum quod sunt ordinatae ad invicem et ad finem.* — Dividit autem Aristoteles totum opus in *decem libros.* In *primo* proponit ultimum finem humanae vitae atque eum diligenter describit et designat; hunc librum s. Doctor illustrat XX lectionibus. — In *secundo* libro Aristoteles agit de virtute in genere, de eius essentia,

quomodo acquiratur ; et hunc librum s. Thomas commentatur XI lectionibus. — In *tertio* libro docet Philosophus de principiis operationum nostrarum, et in specie loquitur de fortitudine, de temperantia, earumque speciebus atque extremis; hunc librum s. Doctor illustrat XXII lectionibus. — In *quarto* libro Aristoteles prosequitur declarare liberalitatem, magnificentiam, magnanimitatem, studium moderatum honoris et reliquas virtutes morales, excepta iustitia; pro illustratione huius libri Aquinas scribit XVII lectiones. — In *quinto* libro Philosophus determinat de ipsa iustitia, de aequitate et bonitate; et s. Doctor commentatur hunc librum XVII lectionibus. — In *sexto* libro Aristoteles explicat quinque habitus et virtutes intellectivas; et hanc doctrinam s. Thomas commentatur XI lectionibus. — In *septimo* libro Philosophus agit de heroica virtute, de continentia, de constantia, de voluptate et dolore; s. Doctor commentatur hunc librum XIV lectionibus. — In *octavo* libro auctor agit de amicitia et speciebus ipsius; et s. Thomas declarat haec omnia XIV lectionibus. — In *nono* libro Aristoteles tractat de conditionibus et proprietatibus amicitiae; Doctor Angelicus illustrat hunc librum XIV lectionibus. — In *decimo* libro denique agit Aristoteles de voluptate, de eius speciebus, de felicitate, de contemplativa et activa; hunc ultimum librum s. Thomas exponit XVI lectionibus.

Authenticitas — huius expositionis apud omnes est extra omne dubium. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 12. — Michelitsch, p. 178, n. 11. — Grabmann, p. 206.

Editiones: Piana T. V. — Parmensis T. XXI. 1. — Vives T. XXV. 231.

---

(1) Bibliographie, p. XIII. n. 12.

## 12.

### In libros Politicorum expositio.

Tempus compositionis — huius commentarii P. Mandonnet (1) statuit circa annum 1268.

Argumentum et divisio. — Aristoteles hoc opus divisit in VIII libros; argumentum autem ipsius operis s. Thomas breviter

exponit in fine lectionis XV I.ae in librum X.um Ethicorum his verbis: « *Et dicit* (Aristoteles), *quod primo tentabit pertranseunter tangere, si quid in parte bene dictum est, circa politicam a progenitoribus* (sc. philosophis praecedentibus). *Quod facit in* secundo *politicae.* (Lib. II). — *Deinde ex diversis politiis considerat, quales politiae salvant civitates, scilicet politiae rectae, quae sunt regnum, aristocratia et politica; et quales corrumpunt, scilicet perversae politiae, quae sunt tyrannis, unius scilicet, oligarchia et democratia. Et iterum considerandum est, qualia conservant vel corrumpunt singulas politias et propter quas causas quaedam civitates bene agunt civiliter, quaedam autem male. Et hoc determinat a tertio libro Politicae usque ad septimum* (Lib. III–VII); *ubi post praedicta considerata incipit conspicere, qualis sit optima politia et qualiter debeat esse ordinata et quibus legibus et consuetudinibus utatur.* (Lib. VIII). *Sed ante omnia haec ponit quaedam principia Politicae libro primo.* » (Lib. I.). — S. Doctor hoc opus Aristotelis illustravit suis commentariis; nempe *primum librum* XI lectionibus; — *secundum* commentatus est XVII lectionibus; — in *tertium* autem *librum* scripsit VI lectiones; — ulterius suos commentarios s. Doctor non est prosecutus; unde haec *expositio in libros Politicorum* inter OPERA INCOMPLETA s. Thomae adnumeranda est.

AUTHENTICITAS. — *Integram* in octo libros Politicorum *Expositionem* genuinum foetum fuisse s. Doctoris multi existimarunt, sic editores editionis Pianae; alii putarunt s. Thomam *tantum in quatuor* primos libros Politicorum commentarios confecisse; at nunc certe constat, *solum commentarium in primum et secundum et in tertium ad finem lectionis sextae* s. Doctori adscribendum esse; caeteros commenetarios ad finem libri octavi esse *Petri de Alvernia.* — Cfr. praesertim Grabmann, o. c. p. 88–91 et p. 206–207. — P. Mandonnet, o. c. p. 45 putat, s. Thomae commentarios verosimiliter in quatuor primos libros tribuendos esse; vide et p. 104 n. 13 eiusdem operis. — Michelitsch, p. 178, n. 12, et p. 189, n. 122 (2).

EDITIONES: Piana T. V. — Parmensis T. XXI 364. — Vivés T. XXVI. 89.

---

(1) Bibliographie, p. XIII. n. 13. — *Ptolomaeus Lucensis* O. P., socius et confessarius s. Thomae, (de illo QUÉTIF-ECHARD, *Scriptores O. P.* T. I. 541

et Taurisano I. O. P.: *Discepoli e biografi di s. Tommaso* in Miscellanea iam laudata, p. 163-170), dicit in sua *Historia ecclesiastica* Lib. XXIII, Cap. XI. s. Thomam hoc opus scripsisse tempore Gregorii X. (1271-1276), ergo annis 1271-1274. Cfr. De Rubeis, Dissert. XIII. Cap. I. n. 1.

(2) Vide etiam M. D. Browne, O. P., *L'authenticité du Commentaire de Saint Thomas sur la Politique d'Aristote,* in « Revue Thomiste », années 23-24 (1918-1920) pp. 78-83.

***

Commentarius in librum de Causis.

Tempus elucubrationis — huius commentarii P. Mandonnet (1) statuit circa an. 1269-1273.

Origo libri de Causis. — Medio aevo opus hoc falso tribuebatur Aristoteli; at iam s. Thomas animadverterat, librum hunc excerptum fuisse ab aliquo philosophorum Arabum ex opere Proculi neo-platonici. In prima lectione enim eius commentarii in hoc opus dicit: *Inveniuntur quaedam de primis principiis conscripta, per diversas propositiones distincta, quasi per modum sigillatim considerantium aliquas veritates. Et in graeco quidem invenitur scilicet traditus liber Proculi Platonici, continens ducentas et novem propositiones, qui intitulatur Elevatio (Elementatio) theologica. In arabico vero invenitur hic liber, qui apud latinos De causis dicitur; quem constat de arabico esse translatum et in graeco penitus non haberi. Unde videtur ab aliquo philosophorum Arabum ex praedicto libro Proculi excerptus; praesertim quia omnia, quae in hoc libro continentur, multo plenius et difusius continetur in illo* (2). — Est ergo *Liber de Causis* excerptum libri *Proculi neo-platonici* (+ 485 p. C.) cuius titulus: *Elementatio theologica* (στοιχείωσις θεολογική. Excerptum hoc *arabice saeculo IX. confectum,* secunda medietate saeculi XII. latinitate donavit presbyter *Gerhardus Cremonensis* (3).

Argumentum libri. — Intentio huius libri est determinare de primis causis rerum. *Dividitur* autem in 32 capita seu propositiones. In *primo* capite « praemittit quasi quoddam principium totius sequentis operis quandem propositionem ad ordinem causarum pertinentem. » Deinde tractat de *distinctione causarum* primarum a capite 2⁰ - 15;ᵘᵐ postea agit de *comparatione causarum* ad invicem a capite 16⁰ - 32.ᵘᵐ — Haec omnia s. Doctor

declarat et illustrat suis XXXII lectionibus, saepius ad opus ipsius Proculi provocans. (E. g. lec. IV. VI. X. XI. XII. etc.). — Ultimam lectionem suam his verbis concludit: *Et sic terminatur liber de Causis. Et sint gratiae Deo omnipotenti, qui est prima omnium causa.*

Authenticitas — huius operis s. Thomae est extra omne dubium. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 23. — Michelitsch, p. 178, n. 13. — Grabmann, p. 207.

Editiones: Piana T. IV. — Parmensis T. XXI. 717. — Vivés T. XXVI. 514.

---

(1) Bibliographie, p. XIII, n. 23.

(2) Edit. Parmensis T. XXI. p. 718.

(3) O. Bardenhewer, *Die pseudo-aristotelische Schrift über das reine Gute bekannt unter dem Namen Liber de Causis.* Freiburg (in B.) 1882). — M. De Wulf, *Histoire de la Philosophie médiévale.* Louvain 1912, p. 298. — Grabmann, *Forschungen über die lateinischen Aristotelesübersetzungen des 13. Jahrhunderts.* p. 251.

***

Commentarii spurii vel dubii s. Thomae in opera Aristotelis.

De somno et vigilia. — Hunc commentarium P. Mandonnet o. c. p. 109 n. 105 et p. 151, ponit inter *apocrypha*; — Michelitsch o. c. p. 188, n. 89 inter *opera dubia* adnumerat.

*Editiones:* Piana T. III. — Parmensis XV, 215. — Vivès T. XXIV. 293.

De somnis, — Opus *apocryphum.* — Cfr. Mandonnet o. c. p. 109, n. 107, et p. 151.

*Editiones:* Piana T. III. — Parmensis XX. 229, — Vivès XXIV. 311.

De divinatione per somnia. — Opus *apocryphum.* — Cfr. Mandonnet o. c. p. 109, n. 108 et p. 151.

*Editiones:* Piana T. III. — Parmensis XX. 239. — Vivès T. XXIV, 325.

De morte et vita. — P. Mandonnet o. c. p. 109, n. 109 et p. 151 considerat opus *apocriphum*: Michelitsch o. c. p. 188, n. 90 ponit illud inter *opera dubia.*

## II.

# OPERA MAIORA THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA

### 1.

#### Commentum in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi.

Tempus elucubrationis. — Annis 1254–1256. (1)

Argumentum et divisio operis. — Opus Petri Lombardi (+ 1160): *Sententiarum libri quatuor* continet: *Prologum*, in quo consilium suum in opere exarando aperit; dein in *libro primo*, per 48 distinctiones diviso, exponit doctrinam de Deo uno et trino; — in *libro secundo*, qui in 44 distinctiones dividitur, agit de creatione, angelis et homine lapso; — in *libro tertio*, qui 40 distinctiones habet, tractat de incarnatione Verbi, de caritate Dei et proximi; — in *libro quarto*, qui divisus est in 50 distinctiones, loquitur de sacramentis et de novissimis. (2) — S. Thomas in explicando hoc opere Magistri Sententiarum, primo scribit suum *prologum*, in quo breviter exponit materiam seu argumentum quatuor librorum Sententiarum. Postea declarat *prologum ipsius auctoris* et pro hac declaratione scribit unicam quaestionem divisam in diversos articulos. — Declarato prologo, in quo de necessitate, natura et subiecto sacrae scientiae agit, pergit explicare singulos libros, ita ut in explicatione singularum distinctionum uniuscuiusque libri unam vel plures quaestiones scribat, quas quaestiones denuo in articulos dividit. Sic ergo hoc modo doctrinam in quatuor libris Sententiarum contentam explicat et explanat.

Authenticitas — a nemine in dubium vertitur. — Cfr. Mandonnet o. c. p. 106, n. 43. — Michelitsch, p. 180, n. 28. — Grabmann, p. 207-208.

Editiones: Piana T. VI-VII. — Parmensis T. VI-VII. — Vivès T. VII-XI.

---

(1) Bibliographie, p. XV, n. 43.

(2) *De Petro Lombardo* cfr. Fr. Protois, *Pierre Lomb. son époque, sa vie, ses écrits et son influence.* Paris 1881. — *Quatuor libri Sententiarum Petri Lombardi* vel etiam *Summa Magistri Lombardi* continent compendiosam et systematicam expositionem totius theologiae collectam ex effatis s. Scripturae, ss. Patrum et conciliorum. — Plures editiones huius operis habentur, inter quas illa in Migne, Patrologia latina, Vol. 192, p. 519 seqq. praesertim autem illa, quam PP. O. M. collegii apud Claras Aquas curarunt in « *Opper. S. Bonaventurae* »; cfr. T. I. Prolog. c. 3. p. LXXXII.

## 2.

### Quaestiones disputatae.

Quaestiones disputatae erant actus scholastici, qui durante anno scholastico de quindena in quindena habebantur. (1) — In istis exercitiis scholasticis magister seu professor respectivae materiae quaestionem, quae illi placebat, proponebat; et tunc eius discipuli imo et magistri et alii discipuli difficultates movebant. — Has difficultates cum earum solutionibus postea magister in ordinem redigebat et ordinabat et sic diversae *Quaestiones disputatae* in lucem edebantur.

Etiam s. Thomas suas « Quaestiones disputatas » tenuit, sive dum prima vice (1252-1260), sive secunda (1269-1272) Parisiis cathedram moderaretur; sive dum etiam in Italia (1261-1269) doceret. — Hae Quaestiones disputatae s. Thomae iam a principio in unum collectae fuerunt et sic specialem classem eius operum constituunt. In illis ordinandis viri eruditi diverso ordine procedunt; moderni praesertim sequuntur ordinem chronologicum; at quia chronologia Quaestionum disputatarum s. Thomae adhuc sit multum incerta, (2) nos sequimur antiquum ordinem, qui in editione Piana invenitur. En ordo editionis:

Pianae: *Quaestiones disputatae de Potentia* (decem.); — *De malo* (sexdecim); — *De Spiritualibus creaturis* (unica quaestio); — *De anima* (unica quaestio); — *De unione Verbi incarnati* (unica quaestio); — *De Virtutibus in communi* (unica quaestio); — *De caritate* (unica quaestio); — *De correctione fraterna* (unica quaestio); — *De spe* (unica quaestio); — *De virtutibus cardinalibus* (unica quaestio); — *De veritate* (quaestiones novem supra viginti). — In his quaestionibus disputatis s. Doctor innumera argumenta ad utramque theologiam, naturalem scilicet et revelatam, pertractat et copia eruditionis et disserendi subtilitate.

Quaestiones disputatas s. Thomae docti viri semper magni existimaverunt. Fr. Xantes Mariales O. P. (3) qui quaestiones disputatas s. Thomae commentariis illustrare inceperat, at eius operis solum una pars lucem aspexit, in praefatione dicit: « *Ego octuagenarius sum et ab ineunte aetate in studiis consumptus. Fateor sincere his tribus vel quatuor annis, quos in edendis his commentariis consumpsi, me longe plus profecisse, quam toto decursu prioris vitae meae* ».

Quaedam Quaestiones disputatae Doctoris Angelici graece etiam translatae fuerunt, sic Quaestiones disputatae *de Potentia*, *De spiritualibus creaturis*.

Seorsim saepius editae sunt; illam novissimam indicamus Taurini a. 1924 apud P. Marietti. *Quaestiones disputatae et Quaestiones duodecim Quodlibetales*, 5 vol. in-8.

---

(1) *Cfr.* Mandonnet o. c. p. 129 seq. — R. Jansens O. P., *Die Quodlibeta des hl. Thomas von Aquin*. Bonn, 1912, p. 6 sq. — M. Grabmann, *Indagini e scoperte intorno alla cronologia delle Quaestiones disputatae et Quodlibeta di san Tommaso d'Aquino* in « S. Tommaso d'Aquino, pubblicazione commemorativa del sesto centenario della cononizzazione ». Publicata a cura della facoltà di filosofia dell'Università cattolica del Sacro Cuore. » Milano 1923, p. 100-121. — Ulteriorem bibliographiam modernam de natura et methodo Quaestionum disputatarum necnon Quodlibetorum invenies apud Grabmann: *Indagini e scoperte...* p. 101.

(2) Circa *tempus* et *locum* elucubrationis Quaestionum disputatarum s. Thomae P. *Mandonnet* habet propriam opinionem, quam exposuit in « Chronologie des Questions disputées de Saint Thomas d'Aquin » in *Revue Thomiste* 1918, 266-287; 341-371. et repetit in citato eius opere « Bibliographie thomiste » p. XV-XVI. *Grabmann* in articulo supra citato: « Indagini e scoperte... » necnon *A. Birkenmajer* in « Kleinere Thomasfragen » in *Philosophisches Jahrbuch* 1920. in multis discrepant a P. Mandonnet et circa locum, ubi eas s. Thomas scripsit et circa tempus, quando eas composuit. Sic P. Mandonnet

opinat tempus et determinat locum: *De veritate* — disputatae Parisiis 1256-1259; — *De Potentia; De Malo; De unione Verbi incarnati* disputatae in Italia 1259-1268; — *De Spiritualibus creaturis; De anima; De virtutibus in communi; De caritate*; *De correctione fraterna; De spe; De virtutibus cardinalibus*; disputatae Parisiis 1269-1272. — Grabmann autem tempus et locum Quaest. disput. hoc modo ordinat: *De veritate* Parisiis 1256. — *De potentia, De malo, De anima, De unione Verbi incarnati, De spiritualibus creaturis* in Italia 1259-1268. — *De virtutibus in communi, De caritate, De correctione fraterna, De spe, De virtutibus cardinalibus* Parisiis 1269-1272. - Cfr. etiam I. Koch, *Ueber die Reihenfolge der quaest. disput. d. hl. Thomas von A.* in Philosoph. Jahrb. 37 (1924) s. 359 sq.

(3) *Fr. Xantes Mariales O. P.* (+ 1660), Venetus, plura opera edidit, inter quae commentarios in Quaestiones disputatas s. Thomae, Bononiae a. 1658. Titulus operis: *Amplissimum artium scientiarumque omnium Amphitheatrum: hoc est de rebus universis celeberrimae Quaestiones disputatae ab Orbis oraculo divo Thoma Aquinate, Ecclesiae Doctore, ad hanc usque diem a nemine expositae...* — Duo tomi prodierunt; alii, quos paraverat, lucem non viderunt. — Cfr. Quétif-Echard, *Scriptores O. P.* T. II. p. 600. — De Rubeis, Dissertat. XI, n. 2.

## 1. Quaestiones disputatae de potentia (1).

Tempus, quando de his quaestionibus s. Doctor disputavit, P. Mandonnet (2) ponit annis 1259–1263.

Summarium. — Quaestiones sunt *decem*, quarum unaquaeque in articulos subdividitur. — *Prima* quaestio agit; de potentia Dei. — *Secunda:* de potentia generativa in divinis. — *Tertia:* de creatione. — *Quarta:* de creatione informis materiae. — *Quinta:* de conservatione rerum in esse. — *Sexta:* de miraculis. — *Septima:* de simplicitate divinae essentiae. — *Octava:* de his, quae relative dicuntur de Deo ab aeterno. — *Nona:* de personis divinis. — *Decima:* de processione personarum in divinis.

Authenticitas — nulli dubia. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 55 b. — Michelitsch, p. 181, n. 31 b. — Grabmann p. 209.

Editiones: Piana T. VIII, 1. — Parmensis T. VIII, 1. — Vivès T. XIII, 1.

---

(1) Alius titulus: *De potentia Dei.*

(2) Bibliographie, p. XVI, n. 55 b. — Idem P. Mandonnet *locum.* ubi ha-

buit s. Thomas has disputationes, ponit *Ananiam* et *Urbemveterem*. Cfr. Chronologie des Questions disputées... *Revue Tomiste* (1918) p. 354. — Grabmann autem ponit locum harum disputationum Romam an. 1265-1266 vel 1267. Cfr. Indagini e scoperte... p. 114-115. et *De Summae D. Thomae Aquinat. theologicae studio in Ordine Fr. Praedic. iam saeculis XIII, et XIV, vigente in « Miscellanea Dominicana* in memoriam VII, anni saecularis ab obitu s. P. Dominici (1221-1921) » Romae 1923, p. 151, n. 1.

2. Quaestiones disputatae de malo.

Has disputationes s. Thomas habuit (1) annis 1263-1268.

Summarium. — Quaestiones sunt *sexdecim* et unaquaeque in articulos subdivisa. — *Prima* quaestio; de malo in communi. — *Secunda:* de peccatis in communi. — *Tertia:* de causis peccati. — *Quarta:* de peccato originali. — *Quinta:* de poena originalis peccati. — *Sexta:* de electione humana. — *Septima:* de veniali peccato. — *Octava:* de vitiis capitalibus. — *Nona:* de inani gloria. — *Decima:* de invidia. — *Undecima:* de accidia. — *Duodecima:* de ira. — *Decima tertia:* de avaritia. — *Decima quarta:* de gula. — *Decima quinta:* de luxuria. — *Decima sexta:* de demonibus.

Authenticitas — operis omnibus certissima est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 55 f. — Michelitsch, p. 182, n. 31 b. — Grabmann, p. 209.

Editiones: Piana T. VIII, 99. — Parmensis T. VIII, 219. — Vivès T. XIII, 320.

---

(1) Bibliographie, p. XV-XV n. 55, c. — *Locum*, ubi has quaestiones Doctor Angelicus disputavit, P. Mandonnet ponit *Urbemveterem*, l. c. p. 354., aliter Birkenmajer; cfr. Grabmann in articulo citato: Indagini e scoperte... p. 110-111.

3. Quaestio disputatae de spiritualibus creaturis.

Tempus, quando hanc quaestionem Doctor Angelicus tractavit, P. Mandonnet (1) assignat annum 1269.

Summarium. — In hac quaestione s. Thomas *undecim* articulis discutit: *Primo:* utrum substantia spiritualis sit composita

ex materia et forma. — *Secundo:* utrum possit uniri corpori. — *Tertio:* utrum anima humana uniatur corpori per medium. — *Quarto:* utrum tota anima sit in qualibet parte corporis. — *Quinto:* utrum aliqua substantia spiritualis creata sit non unita corpori. — *Sexto:* utrum substantia spiritualis coelesti corpori uniatur. — *Septimo:* utrum substantia spiritualis corpori aereo uniatur. — *Octavo:* utrum omnes angeli differant specie ab invicem. — *Nono:* utrum intellectus possibilis sit unus omnium hominum. — *Decimo:* utrum intellectus agens sit unus omnium hominum. — *Undecimo:* utrum potentiae animae sint idem quod animae essentia.

Authenticitas — operis nulli dubia est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 55 c. — Michelitsch, p. 181, n. 31 i. — Grabmann, p. 209.

Editiones: Piana T. VIII, 190. — Parmensis T. VIII. 425. — Vivès T. XIV. 1.

---

(1) Bibliographie, p. XV-XVI, n. 55, e. — *Locum*, ubi tractavit hanc quaestionem, P. Mandonnet ponit *Parisios*, l. c. p. 354; — Grabmann in articulo supra citato: Indagini e scoperte... p. 110 *locum* ponit *Italiam* et *tempus* 1266–1268. — Vide etiam: G. von Hertling, *Wo und wann verfasste Thomas von Aquin die Schrift de spiritualibus creaturis?* in « Historisches Jahrbuch » 1889, p. 143-146.

4. Quaestio disputata de anima.

Tempus disputationis huius quaestionis P. Mandonnet (1) assignat a. 1269–1270.

Argumentum. — Totam quaestionem Doctor Angelicus dividit in 21 articulum. Et primo agit de substantialitate animae humanae; dein de intellectu possibili et agente; quaerit: utrum anima sit composita ex materia et forma; utrum angelus et animae differant specie; quomodo anima est in corpore; agit de potentiis animae; de immortalitate animae; de intellectione animae separatae; ultimo quaerit: utrum anima separata possit pati poena ab igne corporeo.

Authenticitas — operis certissima est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 55 d. — Michelitsch, p. 181, n. 31 c. — Grabmann, p. 210.

Editiones: Piana T. VIII, 207. — Parmensis T. VIII, 465. — Vivès T. XIV, 61.

---

(1) Bibliographie, p. XV-XVI, n. 55 f. et in articulo in *Revue Thomiste* (1918) p. 354 *locum* ponit *Parisios;* Grabmann autem locum disputationis ponit *Italiam* et *tempus* a. 1259-1268; vide artic. Indagini scoperte... supra citatum p. 110.

5. Quaestio disputata de unione verbi incarnati.

De hac quaestione s. Doctor disputavit (1) a. 1268.

Summarium. — In hac quaestione s. Thomas quaerit: *Primo:* utrum haec unio facta sit in persona vel natura. — *Secundo:* utrum in Christo sit una tantum hypostasis. — *Tertio:* utrum in Christo sit unum naturaliter vel duo. — *Quarto:* utrum in Christo sit unum tantum esse. — *Quinto:* utrum in Christo sit una tantum operatio.

Authenticitas — huius operis est certissima. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 55 et p. 131-137. — Michelitsch. p. 182, n. 31 k. — Grabmann, p. 210.

Editiones: Piana T. VIII, 239. — Parmensis T. VIII, 533. — Vivès T. XIV, 161.

---

(1) Bibliographie, p. XV-XVI, 55 d. — P. Mandonnet ponit *locum,* ubi disputavit s. Doctor *Viterbium;* vide *Revue Thomiste* (1918) a. c. p. 354. — Grabmann ponit locum *Italiam. tempus* 1259-1268, cfr. articulum supra citatum: *Indagini e scoperte...* p. 110.

6. Quaestio disputata de virtutibus in communi.

Hanc quaestionem, sicut et quaestiones disputatas: *de caritate; — de correctione fraterna; — de spe; — de virtutibus cardinalibus* tractavit Parisiis a. 1270-1272. (1)

Summarium. — Agit s. Doctor in hac quaestione: de natura virtutis; — de augmento virtutis; — de distinctione virtutum, scilicet de virtutibus intellectualibus, moralibus et theologicis. Ultimo quaerit: utrum virtus sit in medio. — Totam quaestionem absolvit 13 articulis.

De authenticitate — operis nemo dubitat. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 55 g. et p. 130-131. — Michelitsch, p. 181, n. 31 d. — Grabmann, p. 210.

Editiones: Piana T. VIII, 244. — Parmensis T. VIII, 545. — Vivès T. XIV, 178.

---

(1) Bibliographie, XV-XVI, n. 55 g. et in *Revue Thomiste* l. c. p. 354.

7. Quaestio disputata de caritate.

Tempus et locum, ubi illam disputavit s. Thomas, vide praecedentem quaestionem disputatam.

Summarium. — Quaestio haec habet *tredecim* articulos, in quibus s. Doctor quaerit; utrum caritas sit aliquid creatum in anima, vel sit ipse Spiritus Sanctus; — an sit virtus; — an forma virtutum; — an una virtus; — an specialis virtus. Dein quaerit an caritas possit esse cum peccato mortali; — postea de obiecto caritatis; — de ordine servando in caritate; — an possibile sit eam habere perfectam in hac vita. Ultimo tractat de ammissione caritatis.

Authenticitas — non est dubia. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n 55 i. et p. 130-131. — Michelitsch, p. 181, n. 31 e. — Grabmann, p. 210.

Editiones: Piana T. VIII, 260. — Parmensis T. VIII, 580. — Vivès T. XIV, 229.

8. Quaestio disputata de correctione fraterna.

Tempus et locum vide supra in quaestione disputata de virtutibus in communi.

Summarium — In *duobus* articulis quaerit: 1° *utrum fraterna correctio sit in praecepto;* — et concludit: *correctio fraterna sub praecepto cadit secundum debitas circumstantias, secundum quod est actus virtutis, has autem circumstantias determinare sermone non est possibile, eo quod iudicium in singularibus consistit et pertinet ad prudentiam vel experimento et tempore acquisitam vel magis infusam.* — 2° quaerit: *num ordo correctionis fraternae sit in praecepto.*

Authenticitas — certa. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106-107, n. 55 j. et p. 130-131. — Michelitsch, p. 181, n. 31 f. — Grabmann, p. 210.

Editiones: Piana T. VIII, 273. — Parmensis T. VIII, 611. — Vivès T. XIV, 274.

9. Quaestio disputata de spe.

Locum et tempus vide supra in quaestione disputata de virtutibus in communi.

Summarium. — Quaestio habet *quatuor* articulos 1° *quaeritur: utrum spes sit virtus.* — 2° *utrum spes sit in voluntate sicut in subiecto.* — 3° *utrum spes sit prior caritate.* — 4° *utrum spes sit solum in viatoribus.*

Opus est authenticum. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106-107, n. 55 k, et p. 130-131. — Michelitsch, p. 181, n. 31 g. — Grabmann p. 210.

Editiones: Piana T. VIII, 276 v. — Parmensis T. VIII, 618. — Vivès T. XIV, 285.

10. Quaestio disputata de virtutibus cardinalibus.

Tempus compositionis et locum vide supra in quaestione disputata de virtutibus in communi.

Summarium. — Quatuor articulis s. Doctor discutit: 1° *utrum prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia sint virtutes cardinales.* — 2° *utrum virtutes sint connexae, ut qui habet unam,*

*habeat omnes.* — 3° *utrum omnes virtutes in homine sint aequales.* — 4° *utrum virtutes cardinales maneant in patria.*

Authenticitas — certa. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 55 h, et p. 130-131. — Michelitsch, p. 181, n. 31 h. — Grabmann, p. 210.

Editiones: Piana T. VIII, 279 v. — Parmensis T. VIII, 626. — Vivès T. XIV, 296.

11. Quaestiones disputatae de veritate.

Has quaestiones iuxta Mandonnet (1) s. Thomas tractavit *Parisiis* a. 1256-1259.

Summarium. — Quaestiones istae sunt diversi argumenti, et simul sunt *undetriginta;* unaquaeque habet diversos articulos. En ordo quaestionum: 1ª *De veritate.* — 2ª. *De scientia Dei.* — 3ª. *De ideis.* — 4ª. *De verbo.* — 5ª. *De providentia.* — 6ª. *De praedestinatione.* — 7ª. *De libro vitae.* — 8ª. *De cognitione angelorum.* — 9ª. *De cognitione scientiae angelicae per illuminationem et locutionem.* — 10ª. *De mente.* — 11ª. *De magistro.* — 12ª. *De prophetia.* — 13ª. *De raptu.* — 14ª. *De fide.* — 15ª. *De superiori et inferiori ratione.* — 16ª. *De synderesi.* — 17ª. *De conscientia.* — 18ª. *De cognitione primi hominis in statu innocentiae.* — 19ª. *De cognitione animae post mortem.* — 20ª. *De scientia animae Christi.* — 21ª. *De bono.* — 22ª. *De boni appetitu et voluntate.* — 23ª. *De voluntate Dei.* — 24ª. *De libero arbitrio.* — 25ª. *De sensualitate.* — 26ª. *De passionibus animae.* — 27ª. *De gratia.* — 28ª. *De iustificatione impii.* — 29ª. *De gratia Christi.*

Authenticitas — huius operis omnibus certa est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 55 a. — Michelitsch. p. 181, n. 31 a. — Grabmann p. 210.

Editiones: Piana T. VIII, 289. — Parmensis T. IX, 1. — Vivès T. XIV, 315 et T. XV, 1.

---

(1) Bibliographie, p. XV n. 55 a et in *Revue Thomiste* (1918) p. 354.

Quaestio disputata de natura beatitudinis.

Haec quaestio in nulla editione invenitur, eam P. Mandonnet nuper invenit in bibliotheca vaticana et eam edidit in *Revue Thomiste* 1918 p. 366-371.

Locum, ubi eam S. Doctor tractavit, P. Mandonnet assignat *Romam; annum* autem *compositionis* 1566.

Argumentum. — In hac quaestione quaerit s. Doctor: utrum beatitudo creata hominis sit principaliter in actu intellectus vel in actu voluntatis, et concludit: *Beatitudo autem creata, stricte loquendo, est ultimus finis sub fine, quod est ipsum consequi vel habere. Consequi vero, vel habere est per actum intellectus; similiterque beatitudo stricte accipiendo eam pro actu; consecutio vel habitio finis extra debet poni essentialiter et principaliter in actu intellectus; per concomitantiam vero in actu voluntatis perfecte amantis finem adeptum et quietantis in eo.*

Authenticitatem huius quaestionis P. Mandonnet probat ibidem l. c. p. 354-365.

## 3.

### Quaestiones quodlibetales.

Sicut *Quaestiones disputatae*, ita *Quaestiones quodlibetales* vel *Quaestiones de quodlibet* erant actus scholastici. — A Quaestionibus disputatis Quaestiones quodlibetales in hoc distinguebantur: illae de quindena in quindena habebantur; istae autem habebantur generaliter duabus vicibus in anno, h. e. in Adventu ante Nativitatem Domini et in Quadragesima ante Pascha. Dein in Quaestionibus disputatis magister disciplinae, quam docebat, ipse quaestionem proponebat; in Quaestionibus autem quodlibetalibus antea dubia et quaestiones proponebant studentes et aliae personae, quae in illis exercitiis scholasticis aderant. Hinc declaratur multiplicitas argumentorum, quae in istis Quodlibetis tractantur. Dein altera die has quaestiones magister in ordinem redigebat et illas determinabat, seu responsa et doctrinam tenendam sententialiter proponebat (1).

Quodlibeta s. Thomae habemus *duodecim*. In multis tamen manuscriptis solum *undecim* numerantur, et ita quidam auctores antiqui illi solum undecim Quodlibeta tribuunt. Haec autem differentia hoc modo declaratur, quod in illis manuscriptis duo Quodlibeta in unum sunt coniuncta, ideo illi auctores antiqui, « qui enim undecim tantum laudant », – inquit Echard (2), – « duo ex illis simul iungunt, ut in suis manuscriptis codicibus copulata videbant; qui vero duodecim, illa eademmet duo distinguunt, ut in suis codicibus distincta erant ».

Ordo Quodlibetorum, qui in editione Piana et coeteris habetur, non est chronologicus, quamvis Quétif-Echard nec non De Rubeis putaverint sex priora Quodlibeta iam Parisiis a s. Doctore composita fuisse, dum ibi prima vice doceret (3). Ultimo hoc tempore, praeeunte P. *Denifle* O. P. (4) circa *tempus compositionis* singulorum Quodlibetorum maior lux effulsit. *P. Mandonnet* (5), *Grabmann* (6) *A. Destrez* (7), *P. Synave* (8) de hac quaestione specialiter tractaverunt. Opinionem horum auctorum de loco et tempore singulorum Quodlibetorum suo loco indicamus.

Argumentum. — Quaestionum quodlibetalium s. Thomae argumentum sunt res valde diversae ad materiam theologicam pertinentes. In Quaestionibus quodlibetalibus agitur: de Deo, de Angelis, de natura humana, de administratione sacramentorum, de re morali, de officiis pertinentibus ad episcopos, presbyteros, magistros, studentes, uxoratos etc.

Methodus. — Methodum, quam in suis Quaestionibus quodlibetalibus s. Thomas sequitur, De Rubeis (9) hoc modo describit: « Singula Quodlibeta in quaestiones distributa sunt, et quaestiones in articulos, quibus argumenti principalis in quaestione propositi ad examen vocantur variae partes, expenduntur, illustrantur. Pro more suo contraria primo loco ponit Aquinas argumenta; unum vel plura sequuntur argumenta prolusoria, quae solent appellari *argumenta sed contra;* tum proposita solvitur, dirimiturque quaestio; adversis denique respondetur argumentis ».

Quodlibeta s. Thomae iam in incunabulis typographiae saepius prodierunt, sic Coloniae a. 1471; Venetiis 1476; 1495 etc. In commodum studentium unam vel alteram *recentiorem editionem* hic

indico: *Quaestiones disputatae et Quaestiones duodecim Quodlibetales.* Taurini, Marietti 1924, 5 vol. in 8.

---

(1) Cfr. J. A. Destrez, O. P. *Les disputes quodlibétiques de saint Thomas d'après la tradition manuscripte,* in: « Mélanges thomistes, pubbliés par les Dominicains de la Province de France à l'occasion du sixième Centenaire de la Canonisation de saint Thomas d'Aquin ». (Bibliothèque Thomiste III). Le Saulchoir, Kain (Belgique) 1923, p. 49-50; — Cfr. etiam R. Janssen O. P. *Die Quodlibeta des hl. Thomas von Aquin. Ein Beitrag zu ihrer Würdigung und eine Beurteilung ihrer Ausgaben,* Bonn, 1912.

(2) Quétif-Echard, *Scriptores O. P.* T. I. p. 290.

(3) Quétie-Echard, o. c. p. 272, — B. De Rubeis, Dissert. XI. Cap. 4. n. 2.

(4) H. Denifle O. P. u. Fr. Ehrle S. J. Archiv für Literatur u. Kirchengeschichte des Mittelalters, B. III. 320.

(5) P. Mandonnet, O. P. in iam citato articulo: Chronologie des Questions disputées de s. Thomas d'Aquin in *Revue Thomiste* (1918) p. 362 sg.

(6) M. Grabmam in citato articulo: Indagini e scoperte intorno alla cronologia delle Quaestiones disputatae e Quodlibeta di san Tommaso in *S. Tommaso d'Aquino* p. 115 sgg.

(7) J. A, Destrez, O. P. Les disputes quodlibétiques de saint Thomas d'après la tradition manuscripte in *Mélanges thomistes,* p. 49-108.

(8) P. Synave, O. P. in recensione disquisitionis P. Destrez in *Bulletin Thomiste,* organe de la société thomiste I.re Année (1924) p. 33-50.

(9) Dissert, XI. Cap. 4. n. 2.

Quodlibetum primum.

Hoc Quodlibetum, sicut et alia quinque, quae sequuntur, s. Thomas composuit Parisiis a. 1269-1272 (1).

Summarium. Quodlibetum hoc habet 22 *articulos* et in his s. Doctor tractat *decem quaestiones:* 1ª. agit *de B. Benedicto,* nempe: *utrum beatus Benedictus viderit divinam essentiam.* — 2ª. *De humana natura in Christo.* — 3ª. *De angeli loco et motu.* — 4ª. *De bono naturae et gratiae in homine.* — 5ª. *De his, quae pertinent ad bonum gratiae.* — 6ª. *De confessione.* — 7ª. *De his, quae pertinent ad clericos.* — 8ª. *De his, quae pertinent ad religiosos.* — 9ª. *De pertinentibus ad culpam.* — 10ª. *De bono gloriae.*

Authenticitas — est certa. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 56. — Michelitsch, p. 182, n. 32. — Grabmann, p. 210-211.

Editiones: Piana T. VIII. post Quaestiones disputatas nova numeratione paginarum, p. 1. — Parmensis T. IX. 459, — Vivès T. XV, 357.

(1) Bibliographie, p. XVI. n. 56 a. — P. Destrez l. c. p. 51 opinatur s. Thomam disputasse et determinasse hoc Quodlibetum Parisiis a. 1269 *ante Pascha;* alii etiam consentiunt.

Quodlibetum secundum.

Tempus disputationis huius Quodlibeti, vide in praecedenti Quodlibeto (1).

Summarium: Habet *16 articulos* et tractantur *octo quaestiones.* 1.ª *De Christo mortuo et eius passione.* — 2.ª *De Angeli compositione.* — 3.ª *De tempore motus ipsorum Angelorum.* — 4.ª *De homine quantum ad virtutes et vitia.* — 5.ª *De virtutibus circa res humanas.* — 6.ª *De peccatis.* — 7.ª *De poena peccati.* — 8.ª *De remissione peccatorum.*

Authenticitas certa. — Cfr. praecedens Quodlibet.

Editiones: Piana T. VIII. 7. — Parmensis IX, 472. — Vivès XV, 378.

(1) P. Destrez, l. c. p. 51 assignat *tempus* disputationis *ante Nativitatem* Domini a. 1269. Parisiis. Alii etiam consentiunt.

Quodlibetum tertium.

Tempus disputationis et determinationis huius Quodlibeti vide supra Quodlibetum primum (1).

Summarium. — Continet *articulos 31* et discutit *quuatordecim quaestiones.* 1.ª quaestio agit *De potentia Dei.* — 2.ª *De Deo quantum ad naturam assumptam.* — 3.ª *De Angelis quomodo se habeant erga animas.* — 4.ª *De hominibus quoad diversos status.* — 5.ª *De pertinentibus ad religiosos.* — 6.ª *De his, quae competunt in religione existentibus.* — 7.ª *De pertinentibus ad laicos.*

8.ª *De his, quae pertinent communiter ad omnes homines.* — 9.ª *De anima quantum ad eius cognitionem.* — 10.ª *De anima quantum ad poenam.* — 11.ª *De homine quantum ad corporis sexum.* — 12.ª *De actibus communibus omnibus hominibus.* — 13.ª *De poenitentia.* — 14.ª *De creatura pure corporali.*

Authenticitas — certa. Vide supra Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 12 v. — Parmensis T. IX, 485. — Vivès T. XV, 397.

---

(1) P. Destrez l. c. p. 51 *tempus* disputationis huius tertii Quodlibeti assignat Parisiis *ante Pasqua* a. 1270. — Chronologiam huius Quodlibeti iam P. Denifle stabiliverat; cfr. Archiv. für Litt. u. Kirch. l. c.

Quodlibetum quartum.

Tempus disputationis huius Quodlibeti sicut et primi (1).

Summarium. — Habet *24 articulos*, in quibus discutiuntur *duodecim quaestiones.* — 1.ª *agit de rebus divinis et humanis.* — 2.ª *De pertinentibus ad potentiam Dei.* — 3.ª *De his, ad quae divina potentia se extendere potest.* — 4ª *De pertinentibus ad personam filii Dei.* — 5.ª *De Christo in cruce et in sepulchro posito* — 6.ª *De gratia et sacramentis et actibus humanis.* — 7.ª *De sacramentis gratiae.* — 8.ª *De actibus pertinentibus ad praelatos,* — 9.ª *De actibus pertinentibus ad omnes homines.* — 10.ª *De pertinentibus ad vim appetitivam.* — 11.ª *De actibus malis et primis motibus.* — 12.ª *De pueris recipiendis ad religionem.*

Authenticitas — omnibus certa. Vide supra Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 23. — Parmensis T. IX, 507. — Vivès T. XV, 430.

---

(1) P. Destrez l. c. p. 51 *tempus* huius Quodlibeti ponit Parisiis *ante Nativitatem* Domini a. 1270, vel *ante Pascha* a. 1271. P. Synave tempus huius Quodlibeti assignat *ante Nativitatem Domini* a. 1270: cfr. « Bulletin Thomiste » supra citat. p. 45 et 50.

Quodlibetum quintum.

Tempus disputationis — vide Quodlibetum primum (1).

Summarium. — Continet *28 articulos* et tractat *tredecim quaestiones.* — 1.ª Quaestio est *De scientia Dei.* — 2.ª *De potentia Dei.* — 3.ª *De Deo quantum ad naturam assumptam.* — 4.ª *De Angelo quoad aevum.* — 5.ª *De hominibus quoad diversa.* — 6.ª *De hominibus quoad sacramenta.* — 7.ª *De sacramento poenitentiae.* — 8.ª *De matrimonio.* — 9.ª *De virtutibus.* — 10.ª *De praeceptis.* — 11. *De pertinentibus ad quosdam hominum status.* 12. *De doctoribus.* — 13. *De religiosis.*

Authenticitas — certa. Vide Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 32. — Parmensis T. IX, 528. — Vivès T. XV, 461.

---

(1) P. Destrez l. c. p. 51. *tempus* disputationis huius Quodlibeti assignat Parisiis *ante Nativitatem* Domini a. 1270, P. Denifle iam invenerat tempus disputationis huius Quodlibeti cfr. Archiv. für Liter. u. Kirch. l. c.

Quodlibetum sextum.

Tempus disputationis huius Quodlibeti — vide Quodlibetum primum (1).

Summarium. — Continet *19 articulos*, in quibus discutiuntur *undecim quaestiones.* — 1.ª *quaestione* quaeritur *de unitate divinae essentiae.* — 2.ª *De Angelis quoad actionem et locum.* — 3.ª *De his, quae pertinent ad hominem.* — 4.ª *De virtutibus.* — 5.ª *De actibus latriae sive religionis.* — 6.ª *De actibus caritatis.* — 7.ª *De eleemosina.* — 8.ª *De eleemosinis, quae fiunt pro mortuis.* — 9.ª *De peccatis.* — 10.ª *De corpore hominis.* — 11.ª *De creatura pure corporali.*

Authenticitas — certa. — Vide Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 38ᵛ. — Parmensis T. IX, 542. — Vivès T. XV, 482.

---

(1) P. Destrez. l. c. p. 51 assignat *tempus* disputationis huius Quodlibeti Parisiis *ante Pascha* a. 1272; alii pariter consentiunt.

Quodlibetum septimum.

Tempus, quo hoc Quodlibetum disputatum est, sicut et coetera quinque, Mandonnet (1) assignat a. 1264–1268; *locus* autem, in quo haec Quodlibeta VII–XII disputata sunt, designatur Italia.

Summarium. — Habet *18 articulos* et agit de *septem quaestionibus.* — 1.ª *De pertinentibus ad substantias spirituales.* — 2.ª *De fruitione animae Christi.* — 3.ª *De pluralitate in substantiis spiritualibus.* — 4.ª *De sacramento altaris.* — 5.ª *De corporibus damnatorum.* — 6.ª *De sensibus sacrae Scripturae.* — 7.ª *De opere manuali.*

Authenticitas — certa omnibus. Vide Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 43v. — Parmensis T. IX, 552. — Vivès T. XV, 497.

(1) Bibliographie, p. XVI, 56, b. — P. Synave in recensione citata in *Bulletin Thomiste* p. 50 putat s. Thomam hoc Quodlibet disputavisse Romae *ante Natale* Domini 1265.

Quodlibetum octavum.

Tempus disputationis — vide Quodlibet septimum. (1)

Summarium. — Continet *20 articulos* et tractat *novem quaestiones* 1.ª quaestione agit *de pertinentibus ad naturam.* - 2.ª *De pertinentibus ad naturam creatam.* — 3.ª *De pertinentibus ad corpus humanum.* — 4.ª *De pertinentibus ad culpam vel gratiam.* — 5.ª *De pertinentibus ad gratiam quantum ad omnes.* — 6.ª *De his, quae pertinent ad culpam.* — 7.ª *De his, quae pertinent ad poenam et gloriam.* — 8.ª *De poena corporali damnatorum.* — 9.ª *De gloria Beatorum.*

Authenticitas — certa. Vide Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 52. — Parmensis T. IX, 571. — Vivès T. XV, 525.

(1) P. Synave l. c. in *Bulletin Thomiste* locum disputationis huius Quodlibeti opinatur ponendum Viterbium, annum autem 1267 *ante Nativitatem Domini,* ponitque illud post Quodlibetum XI.um consequenter ultimum in Italia.

Quodlibetum nonum.

Tempus elucubrationis — vide Quodlibet septimum. (1)

Summarium. — Habet *articulos 16*, et *septem quaestiones* discutit. 1.ª quaestione quaeritur: *De Christo quantum ad naturam divinam.* — 2.ª *De Christo quantum ad unionem humanae naturae cum divina.* — 3.ª *De Christo quantum ad species sub quibus continetur sub sacramento altaris.* — 4.ª *De natura Angelorum.* — 5.ª *De his, quae pertinent ad homines quantum ad naturam, culpam, et gloriam.* — 6.ª *De homine quantum ad gratiam.* — 7.ª *De his, quae pertinent ad culpam respectu hominis.*

Authenticitas — certa. Vide Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 58.v — Parmensis T. IX, 585. — Vivès T. XV, 545.

---

(1) P. Synave l. c. putat *tempus* assignandum esse a. 1266 *ante Pascha* Romae.

Quodlibetum decimum.

Tempus compositionis — vide Quodlibet septimum. (1)

Summarium. — Habet *articulos 18;* tractat *quaestiones octo.* In 1.ª quaestione quaeritur *De Dei unitate, iudicio et sacramento.* — 2.ª *De duratione Angeli.* — 3.ª *De anima.* — 4.ª *De operatione animae.* — 5.ª *De pertinentibus ad gratiam.* — 6.ª *De pertinentibus ad culpam.* — 7.ª *De culpa, quae contrariatur rectae fidei.* — 8.ª *De pertinentibus ad gloriam.*

Authenticitas — certa. Vide Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 65. — Parmensis T. IX, 600. — Vivès T. XV, 567.

---

(1) P. Synave l. c. putat *tempus* assignandum esse a. 1266 Romae *ante Nativitatem Domini.*

Quodlibetum undecimum.

Tempus compositionis — vide Quodlibet septimum. (1)

Summarium. — Continet *13 articulos;* tractat *decem quaestiones.* 1.ª agit *De immensitate Dei.* — 2.ª *De cognitione Dei.* — 3.ª *De praedestinatione.* — 4.ª *De motu Angeli.* — 5.ª *De partibus naturae humanae.* — 6.ª *De corpore hominis quoad resurrectionem.* — 7.ª *De sacramentis gratiae.* — 8.ª *De sacramento Eucharistiae.* — 9.ª *De sacramento matrimonii.* — 10.ª *De conversatione humanae vitae.*

Authenticitas — certa. Vide Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 70. — Parmensis T. IX, 611. — Vivés T. XV, 582.

(1) P. Synave l. c. proponit *tempus* disputationis a. 1267 Romae *ante Pascha.*

Quodlibetum duodecimum.

Tempus elucubrationis — vide Quodlibetum septimum. (1)

Summarium. — Habet hoc Quodlibetum *36 articulos* et tractat *vigintiduas quaestiones* 1.ª quaestione quaeritur: *De rebus, quae sunt supra hominem.* — 2.ª *De potentia Dei.* — 3.ª *De praedestinatione.* — 4.ª *De fato.* — 5.ª *De Angelis.* 6.ª *De coelo quoad aeternitatem.* — 7.ª *De homine.* — 8.ª *De cognitione hominis.* — 9.ª *De affectu cognitionis.* — 10.ª *De homine quantum ad gratiam.* — 11.ª *De poenitentia.* — 12.ª *De effectu sacramentorum.* — 13.ª *De Ecclesia.* — 14.ª *De virtutibus.* — 15.ª *De virtutibus moralibus.* — 16.ª *De restitutione quae est actus iustitiae.* — 17.ª *De officiis.* — 18.ª *De praedicatoribus.* — 19.ª *De officio confessorum.* — 20.ª *De officio vicariorum.* — 21.ª *De pertinentibus ad culpam.* — 22.ª *De culpa actuali.*

Authenticitas — certa. Vide Quodlibetum primum.

Editiones: Piana T. VIII, 73.v — Parmensis T. IX, 620. — Vivès T. XV 596.

(1) P. Synave l. c. p. 45-46 et p. 50 assignat *tempus* disputationis a. 1271 Parisis *ante Pascha.*

## 4.

### Summa contra gentiles (1).

Occasio operis. — Inceptam et completam lucubrationem ab Aquinate, hortatore s. Raymundo de Pennafort, O. P. qui totus incumbebat in conversionem Maurorum et infidelium, memoriae posterum tradidit Petrus Marsilius, O. P. catalanus, qui tertio decimo saeculo et insequenti ineunte florebat (2).

Consilium auctoris. — Intentionem, quam s. Doctor habuerit, in elucubratione huius operis, ipse in secundo capite primi libri explicite tradit. En eius verba: « *Propositum nostrae intentionis est veritatem, quam fides catholica profitetur, pro nostro modulo manifestare, errores eliminando contrarios* ». — Errores autem, quos eliminare intendit, sunt « *Machometistarum et Paganorum, qui non conveniunt nobiscum in auctoritate alicuius Scripturae, per quam possint convinci; Judaeorum, contra quos disputare possumus per Vetus Testamentum; haereticorum, contra quos per Novum* ».

Tempus elucubrationis. — P. Mandonnet (3) ponit a. 1258-1260.

Divisio et argumentum operis. — Totum opus dividitur in *quatuor libros;* quorum *primus* complectitur *102 capita; — secundus 101^um caput; — tertius 164 capita; — quartus 97 capita.* — Singulis libris s. Doctor prooemium praemittit, ita tamen quod prooemia primi et secundi libri plura capita complectuntur; prooemia tertii et quarti libri singulis capitibus absolvuntur. — In hoc opere s. Doctor versat tum *naturalem,* tum *revelatam theologiam.* « Divinas veritates illas, tametsi divina manifestatas revelatione, naturae tamen lumine adsequibiles, exponit ac vindicat *duobus integris primis libris* ac *tertii parte.* Tuetur ac illustrat *libro quarto* mysteria fidei, quae luminis naturalis vim, potestatem et efficaciam excedunt; cuiusmodi sunt *Personarum Trinitas; Filii divinitas et Spiritus sancti; Verbi Dei incarnatio, una in duplici natura Persona cum duplici voluntate et operatione, conceptio ex Virgine matre, Sacramenta, Resurrectio corporum, iudicium finale. Tertii* superioris libri partem residuam in iis exponendis legis evangelicae documentis insumit, quae ad partem

moralem pertinet: *ultima vera hominis beatitate, amore Dei eiusque cultu, consiliis evangelicis, peccato et merito ac debita poena, divinae gratiae auxiliis* » (4).

Authenticitas — extra omne dubium est apud omnes. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 63. — Michelitsch, p, 180, n. 29. — Grabmann, p. 208.

Editiones: Piana T. IX. — Parmensis T. V, 1. — Vivès T. XII, 1. — Leonina T. XIII, 3.

---

(1) Alii tituli: *De veritate catholicae fidei contra gentiles*, seu *Summa philosophica; — Liber de veritate fidei christianae contra errores infidelium. — Summa contra gentes.*

(2) Fr. Petrus Marsilius O. P. scripsit opus: *Commentarium de gestis regis Aragonum Jacobi primi libris quatuor* et illud nuncupavit et obtulit anno 1313 Iacobo II. cuius a consiliis fuit. En testimonium, quod ad nostrum propositum facit: « Conversionem etiam infidelium ardenter desiderans (Raymundus), rogavit eximium doctorem sacrae paginae, magistrum in theologia fratrem Thomam de Aquino eiusdem Ordinis, qui inter omnes huius mundi clericos, post fratrem Albertum philosophum, maximus habebatur, ut opus aliquod faceret contra Infidelium errores; per quod et tenebrarum tolleretur caligo et veri solis doctrina credere nolentibus panderetur. Fecit magister ille, quod tanti patris humilis deprecatio requirebat et Summam, quae contra gentiles intitulatur, condidit, quae pro illa materia non habuisse parem creditur ». Cfr. Fr. Balme et C. Paban *O. P. Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti vitam et scripta.* Vol. IV. fasc. I. Romae — Stuttgardiae 1898, p. 12. — *S. Raymundus de Pennafort* usque ad a. 1275 vitam egit. De illo Quétif-Echard, *Scriptores O. P.* I. p. 520 sq. De hac re cfr. etiam De Rubeis, Dis ert. XII. Cap. I. n. 1. — Editores leoninos T. XIII. p. VI.

(3) Bibliographie, p. XVI. n. 63. — Editores leonini, referentes testimonium Ptolomaei Lucensis dicunt: « *Tempus* igitur compositionis Summae contra gentiles cadit inter annum 1257, secundum computationem Echardi vel 1256 secundum alios, quando auctor receptus est Magister, — et mensem Octobris 1264, quando Urbanus IV. mortuus est. ». T. XIII. p. VI. — *Locus*, ubi hoc opus s. Doctor composuit: incepit illud Parisiis et in Italia terminavit. Editores leonini ibidem.

(4) B. De Rubeis, Dissert. XII. C. II. n. 1.

NOTA. Editiones quaedam recentiores seorsim editae: *D. Thomae Aquinat... Summae contra gentiles libri quatuor...* Romae, (Forzanii) 1888, vol. 1. — *S. Thomae Aq... Summa contra gentiles*, seu *De veritate catholicae fidei.* Taurini (Marietti) 1924, vol. 1.

## 5.

### Summa theologiae (1).

Tempus lucubrationis — P. Mandonnet (2) ponit annis 1267–1273. — Nempe: *Partem Primam* composuit an. 1267-1268. — *Partem Primam Secundae* an. 1269–1270. — *Partem Secundam Secundae* a. 1271-1272. — *Partem Tertiam* an. 1272–1273.

Consilium s. Doctoris in conficiendo hoc opere. — Statim a principio operis, nempe in Prologo, s. Thomas his verbis suum propositum aperit: ... *Propositum nostrae intentionis in hoc opere est, ea quae ad christianam religionem pertinent, eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium.*

Divisio et argumentum. — Divisionem *totius Summae theologicae* in *Prologo* secundae quaestionis Primae Partis hoc modo tradit: « *Primo tractabimus De Deo; secundo de motu rationalis creaturae in Deum; tertio de Christo, qui (secundum quod homo) via est nobis tendendi ad Deum* ». Totum ergo hoc opus Aquinas in tres partes dividit: in *prima parte* agit de Deo, ut est principium effectivum rerum; — in *secunda parte* ut est finis ultimus rerum omnium ac singulariter creaturae rationalis; — in *tertia parte* ostendit viam, qua, homo per peccatum misere separatus a Deo, rursus ad Deum, finem suum ultimum, feliciter sit reducendus.

Pars Prima in tres tractatus dividitur: *De Deo uno; — de Deo trino; — de Deo creatore;* vel ut ipse in prologo secundae quaestionis dicit: « *Consideratio autem de Deo tripartita erit: primo namque considerabimus ea, quae ad essentiam Dei pertinent; secundo ea, quae pertinent ad distinctionem personarum; tertio ea, quae pertinent ad processum creaturarum ab ipso* ». — His omnibus autem praemittit quaestionem, in qua investigat de ipsa sacra doctrina, qualis sit et ad quae se extendat. Praemissa hac quaestione, *de Deo uno quaerit:* de eius existentia, de eius attributis, de actibus divinis tum intellectus tum voluntatis. — *De Deo trino* agit: de processione divinarum personarum, de relationibus divinis, de personis divinis secundum se; dein

instituit comparationem divinarum personarum tum cum divina essentia, tum earum inter se, tum respectu creaturarum; — *De Deo creatore:* primo considerat modum productionis rerum, dein distinctionem iuxta diversam earum perfectionem: de angelis, de opificio sex dierum, de homine; in ultimo agit de gubernatione mundi.

Secunda Pars subdividitur in duas Partes: *Prima Secundae* et *Secunda Secundae.*

Prima Secundae — agit de ultimo fine hominis; de actibus humanis, quibus homo ad finem suum pervenire debet; inde tractat de voluntario et involuntario; de bonitate et malitia actuum humanorum; de passionibus; de habitibus; de virtutibus; de donis; de beatitudinibus; de fructibus Spiritus Sancti; de peccatis. Dein agit de principiis exterioribus actuum humanorum, hoc est; de legibus et de gratia.

Secunda Secundae. — In prologo in Secundam Secundae dicit: « *Post communem considerationem de virtutibus et vitiis et aliis ad materiam moralem pertinentibus, necesse est considerare singula in speciali... Primo ergo considerabimus specialiter de his, quae pertinent ad omnes hominum status; secundo vero specialiter de his quae pertinent ad determinatos status* ». — Agit ergo in hac parte de virtutibus theologicis: de fide, spe et caritate; dein de quatuor virtutibus cardinalibus: prudentia, iustitia, fortitudine et temperantia. In explicatione autem doctrinae de virtutibus in specie hanc methodum sequitur: in tractatu de qualibet virtute primo agit de ipsa virtute, deinde de dono Spiritus Sancti respondenti tali virtuti necnon de vitio, quod ei opponitur, dein de praeceptis ad eandem spectantibus. In ultimo agit de his, quae pertinent ad speciales status hominum.

Tertia Pars. — Primo agit de ipso Salvatore i. e. de mysterio Incarnationis in se spectato; de singulis perfectionibus Christi ac de vita eius. Postea incipit agere de Ecclesiae sacramentis, « *quae ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent, et primo in communi, dein de unoquoque eorum in speciali* »; de baptismo, confirmatione, Eucharistia, poenitentia. Tractatum de poenitentia ad finem non perduxit, neque de reliquis sacramentis

tractavit, eo minus *de fine immortalis vitae, ad quam per ipsum (Salvatorem) resurgendo pervenimus*, — seu de novissimis, sicut in prologo in Tertiam Partem promiserat. — Absoluta quaestione nonagesima: *de partibus poenitentiae in generali*, morte praeventus ulterius non est prosecutus; ideo etiam *Summa theologiae* inter eius *opera infecta* adnumeratur.

Supplementum. — Illud, quod s. Doctor morte occupatus non potuit perficere de sacramento poenitentiae, de extrema unctione, de ordine, de matrimonio et de novissimis, hoc post eius mortem alii fecerunt, omnia, quae de his materiis tractant, ex *commentariis eius in quartum librum Sententiarum* (3) diligenter colligentes et in unum corpus in hoc Supplemento apte redigentes (4).

Authenticitas. — Omnibus certum est, hoc opus foetum genuinum s. Doctoris esse (5). — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 45. — Michelitsch, p. 180, n. 30. — Grabmann, p. 208–209.

Editiones: Piana TT. X–XII. — Parmensis TT. I–IV. — Vivès TT. I–IV. — Leonina TT. IV–XII.

---

(1) Alii tituli: *Summa theologica — Summa totius theologiae.*

(2) Bibliographie, p. XV. n. 45. — M. Grabmann in opere: *Einführung in die Summa theologiae des hl. Thomas von Aquin*. Freiburg in B. 1919, p. 19 *tempus* et *locum compositionis* Summae theologiae assignat annis 1266-1273, et quidem s. Doctor incepit *Primam Partem* elucubrare in Italia inde ab anno 1266; *Secundam Partem* (hoc est Primam Secundae et Secundam Secundae) incepit in Italia a. 1268 et prosecutus est Parisiis usque ad a. 1272; *Tertiam Partem* composuit Neapolis ab autumno 1272 et sequente a. 1273 et ultra non est prosecutus. Aliorum opiniones vide apud eundem auctorem l. c. p. 18.

(3) Vide supra p. 30. *Commentum in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi.*

(4) *Auctor seu compilator Supplementi* dicendus est *Fr. Reginaldus de Piperno O. P.* socius et arbiter conscientiae s. Thomae. Vide supra p. 22, notam 2). — De auctore vel compilatore Supplementi tractant: Quétif-Echard, *Scriptores Ord. Praed.* T. I. 291, sq. — De Rubeis, Dissert. XIII. C. VI. — P. Mandonnet in opere *Des Ecrits authentiques...* p. 153, n. 126. — Vide tamen editores leonininos T. XII., p. XVI bis sqq. in praefatione in Supplementum, quid de compilatore sententiant.

(5) Saeculo xvii. J. Launoi (Launoius) et quidam alii pauci in dubium revocare voluerunt authenticitatem Summae theologiae sive totaliter, sive partialiter; at Natalis Alexander O. P. et Jacobus Echard O. P. talia docu-

menta pro authenticitate Summae theologiae in lucem protulerunt, quod exinde nullus ausus est, quid simile de Summa theologiae asserere. Cfr. N. Alexander, *Summa sancti Thomae vindicata...* Parisiis 1675. — Item in *Historia ecclesiastica,* Dissert. VI. ad saeculum xiiium. — J. Echard, *Sancti Thomae Summa suo auctori vindicata.* Parisiis 1708. Item in *Scriptores Ord. Praed.* T. I. p. 293 sqq. — De hac quaestione De Rubeis, Dissert. XIII, Cp. I-V. et Dissert. XIV. Cp. I-IV.

***

## OPUS THEOLOGICUM APOCRYPHUM.

Scriptum secundum in IV libros Sententiarum ad Hannibaldum de Hannibaldis.

Editiones: Piana T. XVVII. 1ter — Parmensis T. XXII, 1 — Vivès T. XXX, 1.

*Nota.* — Certum est, S. Thomam, cum prima vice Parisiis in Italiam redisset, *secundum scriptum in Sententiarum libros* aggressum esse; hoc enim expressis verbis testatur Ptolomaeus de Luca in *Hist, eccl.*. lib. XXIII, cap. XV. Sed hoc opus deperditum est. Illud opus, quod in editionibns operum s. Thomae habetur sub titulo supra indicato, non est eius, sed ipsius *Hannibaldi de Hannibaldis.* Vide de hac re: Quétif-Echard. *Script. Ord. Praed.* I. p. 261 et 342; De Rubeis, Dissest. X. Cap. V. n. 1; — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 124 et p. 152-153.

## III.

## COMMENTARII IN S. SCRIPTURAM

S. Thomas plurimos libros tum Veteris tum Novi Testamenti suis commentariis exornavit. — Ex his commentariis quaedam adhuc habemus, de quibus infra agemus; — quidam perierunt, uti commentarii in evangelia s. Marci, s. Lucae et s. Joannis necnon commentarius in 15 prima capita Matthaei; — quidam autem apocryphi sunt, uti Postillae in librum Genesis, in Danielem prophetam, in libros Machabaeorum etc. — Dein notandum, quod quasi omnes commentarii, qui infra recensentur, sunt labores scholastici s. Doctoris, hoc est labores seu *lecturae*, quas in scholis habuit; excipe tamen *Catenam auream* in quatuor Evangelia, quam ex mandato Summi Pontificis scripsit (1).

(1) Cfr. Mandonnet, Chronologie sommaire de la vie et des écrits de saint Thomas in « *Revue des Sciences philosophiques et theologiques* », An. IX (1920) p. 147, et Epistolam dedicatoriam ipsius s. Doctoris ad Urbanum IV praemissam Catenae aureae in quatuor Evangelia.

### 1.

### Expositio in Job.

Elucubravit s. Doctor hanc expositionem tempore pontificatus Urbani IV, 1261-1264 (1).

Summarium. — In prologo inter alia dicit, intentionem libri Job in hoc totam versari, ut per probabiles rationes ostendatur, res humanas divina providentia regi. Dein suam intentionem his verbis exprimit: « Intendimus enim compendiose secundum nostram possibilitatem, de divino auxilio fiduciam habentes, librum istum, qui intitulatur beati Job, secundum literalem sensum exponere; eius enim mysteria tam subtiliter et discrete beatus Papa Gregorius aperuit, ut his nihil ultra addendum

videatur ». — Capita totius libri in lectiones diversas dividit et dein exponit.

Authenticitas ab omnibus admittitur. — Cfr. Mandonnet, *o. c.*, p. 105, n. 26. — Michelitsch, p. 179, n. 19. — Grabmann, p. 76 seq. et p. 188.

Editiones: Piana T. XIII, 1. — Parmensis T. XIV, 1. — Vivès T. XVIII, 1.

(1) Bibliographie, p. XIV, n. 26.

## 2.

### In psalmos David expositio (1).

Tempus compositionis an. 1270-1272 (2).

Summarium. — In prooemio explicans illa verba Eccl. 47, v. 9 « *In omni opere suo dedit confessionem Sancto et Excelso in verbo gloriae* », agit de materia, modo seu forma, fine et authore psalmorum concludens his verbis: « Patet ergo materia huius operis, quia de omni opere Domini. Modus, quia deprecativus et laudativus. Finis, quia ut elevati coniungamur Excelso et Sancto. Author, quia ipse Spiritus Sanctus hoc revelans ». — Dein subiungit: « Sed antequam ad literam veniamus, circa hunc librum, tria in generali consideranda sunt. Primo, de translatione huius operis. Secundo, de modo exponendi. Tertio, de eius distinctione ». — Interpretatus est autem psalmos omnes usque ad psalmum 51.um inclusive.

Opus est authenticum s. Thomae. — Cfr. Mandonnet *o. c.* p. 105, n. 27. — Michelitsch, p. 186, n. 74. — Grabmann, p. 188 sq. — Recensendum tamen inter *Reportata* (3).

Editiones: Piana, T. XIII. — Parmensis, T. XIV, 148. — Vivès T. XVIII, 228.

(1) Alii tituli: *Super quatuor nocturnos psalterii. Super tres nocturnos psalterii.*

(2) Bibliographie, p. XIV, n. 27.

(3) Cfr. *Bartholomaeum de Capua* apud Mandonnet, o. c. p. 31.

3.

In Cantica canticorum expositio.

Quaestio. — Quaedam editiones operum s. Thomae continent duas expositiones eiusdem s. Doctoris in Cantica canticorum. Una incipit: « *Salamon inspiratus divino spiritu* »; — altera: « *Sonet vox tua* ». — Prima invenitur in editione Piana T. XIII, — utraque in editione Parmensi T. XIV, 354, 387.

De authenticitate utriusque expositionis viri eruditi non consentiunt. — Certum est, s. Thomam expositionem in Cantica canticorum composuisse; et hoc omnes concedunt; at quaenam ex his duabus expositionibus, quas habemus, sit eius foetus genuinus, eruditi adhuc dissentiunt. — P. Mandonnet in opere: « Des Ecrits authent. de S. Thom. » p. 105, n. 28 et p. 114, n. 126$^{bis}$ inter opera authentica S. Thomae adnumerat illam, quae incipit: « *Sonet vox tua* »; sed in opere: « Bibliographie », p. XVIII, suum iudicium mutat. — Grabmann, e contrario in opere citato p. 189 sq. asserit nullum ex istis duobus commentariis posse tribui s. Thomae. Non ille, qui incipit: « *Salamon inspiratus* », quia ille commentarius iam in codicibus manuscriptis saeculi x$^{ex.i}$, xi$^{ex.i}$, xii$^{ex.i}$, habetur; — non iste, qui incipit: « *Sonet vox tua* », quia antiqui codices manuscripti illum Fr. Aegidio de Columna, Romano, O. S. A. tribuunt. Consequenter commentarius authenticus s. Thomae in Cantica canticorum nobis remanet adhuc ignotus.

De hac quaestione praeter laudatos auctores cfr. Quétif-Echard, « *Scriptor. Ord. Praed.* » I, p. 323; — De Rubeis, *Dissert.* II. *Cap.* II. Wil. Vrede, *Die beiden dem hl. Thomas von Aquin zugeschriebenen Kommentare zum Hohen Liede.* Berlin, 1903. — M. Schumpp O. P., Hat der hl. Thomas einen Kommentar zum Hohen Liede geschrieben? in *Divius Thomas* VIII (2. Reiche, 1921) pp. 47-55.

4.

In Isaiam prophetam expositio.

Opus compositum circa an. 1259-1261 (1).

Summarium. — In prooemio s. Doctor explicans illa verba Habacuc, 2, v. 2-3 « *Scribe visum et explana eum super tabulas et*

*percurrat, qui legerit eum, quia adhuc visus procul et apparebit in finem* » — inquirit de authore, modo et materia huius libri. Dein exponit *prologum B. Hieronymi* in Isaiam prophetam (2); postea interpretatur totum librum usque in finem.

Authenticitas — huius expositionis est extra omne dubium. Cfr. Mandonnet, *o. c.* p. 105, n. 29. — Michelitsch, p. 179, n. 20. — Grabmann, p. 192.

Editiones: Piana T. XIII. — Parmensis T. XIV, 427. — Vivès T. XVIII, 666.

---

(1) Bibliographie, p. XIV. n. 29.
(2) *Divina Bibliotheca* P. L. 28, p. 825.

5.

In Jeremiam prophetam expositio.

Composuit hoc opus s. Thomas an. 1264-1269 (1).

Summarium. — In prooemio explicat verba Oniae Summi sacerdotis II. Machab. 15, 14 « *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei* ». — « Ex quibus (verbis) » — inquit, « quatuor possunt accipi circa praesens opus, quod prae manibus habetur, scilicet author, materia, modus et utilitas », — quae ulterius s. Doctor declarat. — Postea exponit *prologum B. Hieronymi* (2) in eundem librum, et dein incipit expositio in Jeremiam, quae pertingit usque ad caput XLII., — opus est ergo *infectum.*

Authenticitas-eius certa est. — Cfr. Mandonnet, *o. c.* p. 105, n. 30. — Michelitsch, p. 179, n. 21. — Grabmann, p. 193.

Editiones: Piana T. XIII. — Parmensis T. XIV 577. — Vivès, T. XIX, 66.

---

(1) Bibliographie, p. XIV, n. 30.
(2) *Divina Bibliotheca*, P. L. 28, p. 903.

## 6.

### In Threnos Jeremiae prophetae expositio.

Confecit hoc opus s. Doctor a. 1264-1269 (1).

Summarium. — Habet haec expositio breve prooemium, in quo Doctor Angelicus interpretando illud Ezechiel. 2, 9, « *Ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber; et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris; et scriptae erant in eo lamentationes et carmen et vae* » — dicit: « Ex verbis istis quatuor possunt accipi circa praesens opus lamentationum Jeremiae; scilicet author, modus, utilitas et materia ». — Praedicta dein breviter explicat. Postea sequitur interpretatio Threnorum et orationis Jeremiae.

Authenticitas. — Opus est genuinum s. Thomae. — Cfr. Mandonnet, *o. c.* p. 105, n. 31. — Michelitsch, p. 179, n. 22. — Grabmann, p. 194.

Editiones: Piana T. XIII. — Parmensis T. XIV, 668. — Vivès, T. XIX, 201.

---

(1) Bibliographie, p. XIV, n. 31.

## 7.

### Expositio in Evangelium Matthaei.

Tempus compositionis. — P. Mandonnet (1) assignat an. 1256-1259.

Summarium. — Primo scribit prooemium, in quo explicat prologum s. Hieronymi (2), (cuius principium est: *Matthaeus ex Judaea sicut in ordine primus ponitur...*) — incipiens his verbis: « Evangelio Matthaei Hieronymus praemittit prologum, in quo tria facit: primo enim ipsum authorem describit; secundo evangelii mysteria aperit; tertio suam intentionem ostendit... » — Postea sequitur explicatio textus evangelici.

De authenticitate — huius operis s. Doctoris iam omnes consentiunt; at difficultas remanet, an totus commentarius inter

*Reportata* sit numerandus, vel solum inde a capite XV. — Fr. *Petrus de Andria*, O. P. Apulus, s. Doctoris in Italia et Parisiis auditor, postea episcopus Aequensis (3), designatur auctor Reportati; — ipse nempe s. Thomam e suggestu loquentem excepit. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 105, n. 36. — Michelitsch, p. 179, n. 23 et p. 186, n. 75. — Grabmann, p. 195 sq.

Editiones: Piana T. XIV. — Parmensis, T. X. 1. — Vivès, T. XIX, 226.

---

(1) Bibliographie, p. XIV, n. 36.

(2) In antiquis Bibliis mss. et editis habetur iste prologus, qui tamen s. Hieronymi non est. Cfr. De Rubeis, Dissert. IV, Cap. I, n. 3.

(3) De *Fr. Petro de Andria*, O. P. cfr. Quétif-Echard, *Scriptores O. P.* I. 532. — M. Grabmann, La scuola tomistica italiana nel xiii e principio del xiv secolo in *Rivista Neo-scolattica* xv (1923), p. 101-102. — I. Taurisano O. P. Discepoli e Biografi di s. Tommaso in « *S. Tommaso...* » p. 132-134.

## 8.

### Expositio in Evangelium s. Joannis.

Opus compositum est iuxta P. Mandonnet (1) an. 1269-1271.

Summarium. — In prologo explicat s. Doctor verba Isaiae, 6, 1. « *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum et plena erat omnis terra a maiestate eius et ea, quae sub ipso erant, replebant templum* ». Prologum concludit his verbis: « Patet ergo materia, ordo, finis et author huius evangelii beati Joannis, quod prae manibus habemus ». Dein venit « expositio prologi » beati Hieronymi (2) in evangelium Joannis, « in quo intendit Hieronymus exprimere scilicet authorem evangelii et ostendere, quia ei scribere hoc evangelium competebat ». Post expositionem prologi s. Hieronymi sequuntur commentarii textus evangelici; textum autem evangelicum per lectiones commentatur et quodlibet caput evangelii in diversas lectiones dividit.

Authenticitas — huius operis ab omnibus admittitur. — Notandum tamen, quod commentarios *in quinque prima capita* ipse s. Doctor *proprio stilo notavit;* alia autem pars expositionis usque in finem est Reportatum *Fr.* Reginaldi de Piperno O. P. — Hoc Reportatum Fr. Reginaldi tamen s. Doctor postea ipse

revidit et correxit. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 105, n. 41. — Michelitsch, p. 179, n. 24 et p. 186, n. 76. — Grabmann, p. 196 sq.

Editiones: Piana T. XIV. — Parmensis T. X, 279. — Vivès T. XIX, 669.

---

(1) Bibliographie, p. XIV, n. 41.

(2) Prologus invenitur in antiquis Bibliis mss. et editis, at non est s. Hieronymi. Cfr. De Rubeis, Dissert. IV, Cap. I, n. 3.

## 9.

### Catena aurea super quatuor Evangelia.

Titulus primitivus, iam ab ipso s. Doctore usurpatus, erat: Expositio continua in Evangelia; — sed iam saec. xiv (a. 1321) opus hoc nomen Catenae aureae prae se ferebat. Cfr. Quétif-Echard, *Scriptores O. P.*, I. p. 329. — De Rubeis, Dissert. V. Cap. III, n. 1-2.

Occasio operis. — Hoc opus agressus est s. Thomas de mandato Urbani IV, uti clare apparet ex epistola dedicatoria operi praemissa.

Tempus compositionis et dedicatio operis. — Expositionem seu Catenam auream in evangelium Matthaei s. Doctor composuit tempore Pontificatus Urbani IV (1261-1264) et illam obtulit eidem Summo Pontifici. Expositionem seu Catenam in Marcum, Lucam et Ioannem composuit post mortem Urbani IV, annis 1265-1267 (1) et illam dicavit, Hannibaldo de Hannibaldis O. P. qui fuit cardinalis S. R. E. et antea ipsius s. Doctoris familiaris et in cathedra successor (2).

Scopus et summarium operis. — S. Thomas suum propositum in conficiendo hoc opere aperit in epistola dedicatoria ad Urbanum IV. In illa inter alia dicit: « Vestrae Sanctitati complacuit mihi committere Matthaei evangelium exponendum, quod iuxta propriam facultatem executus, sollicite ex diversis Doctorum libris praedicti evangelii expositionem continuam compilavi; pauca quidem certorum auctorum verbis, ut plurimum ex

glossis adiiciens, quae ut ab eorum dictis possent discerni, sub glossae titulo praenotavi... Fuit autem mea intentio in hoc opere, non solum sensum prosequi literalem, sed etiam mysticum ponere; interdum etiam errores destruere, nec non confirmare catholicam veritatem »... — In illa autem epistola dedicatoria ad Hannibaldum de Hannibaldis, cardinalem, haec habet: « Verum » — inquit, « quia eo Summo Pontifice (Urbano IV) ex hac vita subtracto, tria evangelia Marci, Lucae et Joannis exponenda restabant, ne opus, quod obedientia inceperat, negligentia imperfectum relinqueret, cum multo labore diligens adhibui studium, ut quator evangeliorum expositionem complerem, eadem in omnibus forma servata in ponendis Sanctorum authoritatibus et eorum nominibus praescribendis. Et ut magis integra et continua praedicta Sanctorum expositio redderetur, quasdam expositiones Doctorum graecorum in latinum feci transferri, ex quibus plura expositionibus latinorum Doctorum interserui, authorum nominibus praenotatis ». — Sic ergo Catena aurea non est aliud nisi expositio continua evangeliorum ex auctoritatibus ss. Patrum et Doctorum confecta.

Catenae in Matthaeum primo praemittitur « epistola dedicatoria ad Urbanum IV », dein praefatio, in qua exponuntur verba Isaiae 40, 9-10: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem; exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester; ecce Dominus Deus in fortitudine veniet et brachium eius dominabitur; ecce merces eius cum eo* ». In hac praefatione agit de evangelii nomine, de evangeliorum materia, figuris, numero, ordine locali, dissonantia, narrationis ordine, sublimitate, in ultimo: « quibus et de qua causa hoc evangelium sit scriptum ». Postea sequitur textus evangelii expositio. — Catenae in Marcum praemittitur « epistola dedicatoria ad Hannibaldum cardinalem »; cui subnectitur praefatio, in qua explicantur verba Isaiae, 49, 5-6: *Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et faeces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* In hac praefatione praeter alia agit, ob quam causam Marcus scripserit evangelium; breviter exponit argumentum et figuram leonis, qua Marcus significatur; se-

quitur dein textus evangelii expositio. — Catenae in Lucam pariter praeponit praefationem, in qua explicando illa verba Isaiae 50, 3-4: *Induam coelos tenebris et saccum ponam operimentum eorum. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo; erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum;* loquitur de materia, modo scribendi, fine et conditione scriptoris. Dein venit textus evangelii explicatio. — Catena in Joannem incipit praefatione, in qua verba Isaiae 6,1: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum et plena erat domus maiestate eius et ea, quae sub ipso erant, replebant templum,* — explicans, agit de scriptore evangelii, materia, sublimitate et fine. Postea sequitur explicatio textus evangelici.

Authenticitas — operis nulli dubia est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 105, nn. 32, 33, 34, 35. — Michelitsch, p. 180, n. 25. — Grabmann, p. 194.

Editiones: Piana T. XV. — Parmensis T. XI, 1. XI, 335. XII, 1. XII, 257. — Vivès T. XVI, 1. XVI, 499. XVII, 1. XVII, 381.

---

(1) Bibliographie, p. XIV. n. 32-35.

(2) De Fr. Hannibaldo de Hannibaldis O. P. cfr. Quétif-Echard, *Scriptores O. Praed.* I. 261-262. — M. Grabmann, *La scuola tommistica nel* XIII *e principio* XIV *secolo...* p. 112-114.

## 10.

### Expositio in s. Pauli epistolas.

Tempus compositionis commentarii epistolae ad Romanos et illius primae ad Corinthios usque ad finem cap. X. P. Mandonnet assignat an. 1272-1273; — tempus compositionis commentarium a capit. XI, primae ad Corinthios et in alias epistolas s. Pauli putat assignandum an. 1259-1265. (1)

Summarium. — Primo ponit prologum generalem in omnes epistolas s. Pauli, in quo prologo explicat illa verba Act. 9, 15: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum gentibus et re-*

*gibus et filiis Israel.* Explicando autem haec verba de s. Paulo, subiungit: «Sic igitur ex verbis praemissis possumus accipere quatuor causas huius operis, scilicet epistolarum Pauli, quas prae manibus habemus. Primo quidem auctorem in vaso. Secundo materiam in nomine Christi, quae est plenitudo vasis; quia tota doctrina haec est de doctrina Christi. Tertio modum in usu portationis. Traditur enim haec doctrina per modum epistolarum, quae per nuntios portari consueverunt... Quarto distinctionem operis in utilitate praedicta. Scripsit enim 14 epistolas, quarum novem instruunt ecclesiam gentium; quatuor praelatos et principes Ecclesiae, id est reges; unam populum Israel, scilicet quae est ad Hebraeos». Dein assignat rationem distinctionis et ordinis omnium epistolarum. In *epistola ad Romanos* commendatur gratia Christi secundum se. *In duabus epistolis ad Corinthios* gratia Christi commendatur secundum quod est in sacramentis gratiae: in *prima* agitur de ipsis sacramentis; in *secunda* de dignitate ministrorum. In *epistola ad Galatos* excluduntur superflua sacramenta contra illos, qui volebant vetera sacramenta novis adiungere. In *epistola ad Ephesios* agit Apostolus de institutione ecclesiasticae unitatis. De eius confirmatione et profectu in *epistola ad Philippenses.* De eius defensione contra errores in *epistola ad Colossenses.* Contra persecutiones praesentes in *prima ad Thessalonicenses;* in *secunda ad Thessalonicenses* contra persecutiones futuras, praecipue tempore Antichristi. *In prima ad Timotheum* instruit praelatos spirituales ecclesiarum de institutione, instructione et gubernatione ecclesiasticae unitatis; in *secunda* de firmitate contra persecutores: *In epistola ad Titum* instruit praelatos spirituales de defensione contra haereticos. In *epistola ad Philemonem* instruit dominos temporales.

1. Expositio epistolae ad Romanos. — Non habet proprium prologum, sed iam in prologo generali loquitur de eius dignitate et de loco, ubi scripta sit. — Exponit autem hanc epistolam, sicut et ceteras, per lectiones; unumquodque nempe caput dividit in diversas lectiones, in quibus textum epistolarum commentatur.

2. Expositio epistolae primae ad Corinthios. — Habet prologum, in quo afferens illa verba Sapient. 6. 24: *Non abscondam a vobis sacramenta Dei*, exponit, quid sacramentum significet et

concludit: « Sic ergo praedicta verba demonstrant nobis materiam huius epistolae, in qua apostolus agit de sacramentis Ecclesiae ». — Sequitur dein expositio modo supra indicato.

3. Expositio epistolae secundae ad Corinthios. — In prologo explicat verba Isaiae 61. 6: *Ministri Dei nostri, dicetur vobis* — incipiens: « In his verbis congrue tangitur materia huius secundae epistolae ad Corinthios; nam in prima epistola agit Apostolus de ipsis sacramentis, sed in hac secunda agit de ministris ipsorum sacramentorum, tam bonis, quam malis. » — Dein affert rationem, ob quam haec epistola sit scripta. — Modus expositionis, qui sequitur, est sicut in praecedentibus.

4. Expositio epistolae ad Galatas. — In prologo explicat verba Levit. 26, 10: *Vetera, novis supervenientibus, proiicietis.* — « Haec verba, » — inquit, « competunt praesenti epistolae, in qua Apostolus redarguit Galatas, qui in tantum seducti fuerant a pseudoapostolis, ut simul servarent legalia et Evangelium. » — Dein exponit quadruplicem vetustatem: erroris, figurae, culpae et poenae. — Sequitur textus explicatio modo praedicto.

5. Expositio epistolae ad Ephesios. — In prologo exponit illud psalmi 74, 4: *Ego confirmavi columnas eius* — Haec verba explicat de D. Paulo, « quia etsi Ephesios in fide non fundavit, tamen fundamenta in fide confirmavit », hoc est fideles illius ecclesiae. Ex illis verbis eruit etiam causam efficientem huius epistolae: Paulum; causam finalem: confirmationem; causam materialem: Ephesios; causam formalem: divisionem epistolae et modum agendi. — Postea venit textus explicatio sicut in praecedentibus epistolis.

6. Expositio epistolae ad Philippenses. — In prologo exponit verba Proverb. 4, 18: *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem.* — Haec verba exponit de vita sanctorum, quae est arcta, lucida, proficiens usque ad perfectum diem; opponendo ex altera parte malorum viam, quae est lata, obscura, tenebrosa et deficiens. Unde « ex his verbis » inquit, « trahi potest materia huius epistolae. Erant enim Philippenses in Christi recta semita... illuminati per fidem... proficie-

bant. » In epistola ad Ephesios fit instructio, qualiter sit servanda ecclesiastica unitas; Philippenses proponuntur in exemplum servandae ecclesiasticae unitatis. — Sequitur expositio textus sicut in praecedentibus epistolis.

7. Expositio epistolae ad Colossenses. — In prologo verba I. Machab. 3. 3: *Protegebat castra gladio suo*, — exponit de D. Paulo disserens, quomodo ad praelatos Ecclesiae pertinet defendere castra, hoc est fideles, contra peccata per exhortationes; contra haereticos per sanam doctrinam; contra persecutores exemplo, scilicet patienter tolerando. « Sic Paulus protexit gladio spirituali, quia in suis epistolis corripiebat peccata; confutabat haereses; animabat ad patientiam... Sic ergo materia huius epistolae est haec. Quia in epistola ad Ephesios ostendit modum ecclesiasticae unitatis; in epistola ad Philippenses ostendit eius profectum et conservationem; in hac autem agit de eius conservatione contra haereticos, qui depravaverant eos seducendo... » — Sequitur textus explicatio sicut in praecedentibus epistolis.

8. Expositio epistolae primae ad Thessalonicenses. — Prologum incipit verbis Genes. 7. 17: *Moltiplicatae sunt aquae et elevaverunt arcam in sublime a terra.* — « Haec verba », dicit, « competunt materiae huius epistolae. Ecclesia enim significatur per arcam... Per aquas autem significantur tribulationes ». Dein explicans ista, concludit: « Sic ergo convenit huic epistolae, quia isti multas tribulationes passi, steterunt fortes ». — Sequitur textus explicatio uti in praecedentibus.

9. Explicatio epistolae secundae ad Thessalonicenses. — Prologum incipit verbis Jacob, Genes. 49, 1: « *Congregamini, ut annuntiem, quae ventura sint vobis in diebus novissimis* ». — « Haec verba competunt », inquit, « huic epistolae: Duo enim tanguntur, quae ei conveniunt, scilicet fructus et eius materia ». Materia: agitur de illis, quae ventura sunt in diebus novissimis; de periculis Ecclesiae tempore Antichristi; de malorum suppliciis; de praemiis bonorum. Utilitas seu fructus: congregatio scilicet concordantium in veritate, quia discordabant in iudicio futuro. Unde concludit: « Sic ergo patet fructus et materia;

quia in prima (epistola) munivit eos contra persecutiones praeteritas; hic munit eos contra futuras » — Sequitur dein textus explicatio modo praecedenti.

10. — Explicatio epistolae primae ad Timotheum. — In prologo explicat verba Ecclesiast. 10, 4: *In manu Dei potestas terrae et execrabilis omnis iniquitas gentium et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.* — Inter alia dicit: « Prius instruxit Ecclesiam in his, quae ad eius unitatem pertinent. Hic instruit ipsos rectores Ecclesiae, qui sunt quasi principalia membra eius... Et sic patet materia harum epistolarum, quia est ad instructionem rectorum populi fidelis, in quo quidem praeferuntur in spiritualibus, sicut praelati ecclesiarum, quos primo instruit; quidam vero in temporalibus, quos secundo monet, et hoc in epistola ad Philemonem. Circa primum tres sunt epistolae, secundum tria quae competunt praelato: quorum primum est, ut gubernet populum; secundum, ut pro populo subdito patiatur; tertium, ut malos coerceat. Primum in prima ad Timotheum; secundum in secunda, ubi agit de martyrio; tertium in epistola ad Titum, ubi agit et docet, quo modo vitet haereticos ». — Postea venit explicatio textus ut supra.

11. Explicatio epistolae secundae ad Timotheum. — Prologum incipit verbis Jacob, Genes. 31, 40: *Die noctuque aestu urebar ac gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* — Ex his verbis sumit occasionem ad declarandam curam pastoralem ac pastorale officium, dein concludit: « Recte ergo haec verba materiae huius epistolae conveniunt. In prima (ad Timotheum) enim instruit eum de ordinatione ecclesiastica. In hac autem secunda agit de solicitudine tanta pastorali, ut etiam martyrium sustineat pro cura gregis ». — Sequitur expositio textus epistolae sicut in praecedentibus.

12. Expositio epistolae ad Titum — In prologo explicat illa verba Lucae 12, 39: *Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam* — dicens: « Per patremfamilias significatur praelatus Ecclesiae propter tria, quae debet exhibere, scilicet generationem ad fidem, eruditionem ad salutem, custodiam ad securitatem ».

His explicatis, concludit: « Sic ergo ex praemissis trahitur convenienter intentio huius epistolae, in qua Apostolus instruit Titum, quo modo regat Ecclesiam. — Venit dein textus explicatio modo supra dicto.

13. Expositio epistolae ad Philemonem. — In prologo explicat illa verba Ecclesiast. 33, 31: *Servus, si est tibi fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta; quoniam in sanguine animae comparasti illum* — declarans relationem, qualis esse debeat inter dominum et servum. Unde concludit: « Haec autem verba conveniunt materiae huius epistolae. Sicut enim supra ostendit, qualiter spirituales praelati habeant se ad subditos, sic hic qualiter temporales domini ad temporales servos, et quomodo servus fidelis quoad dominum suum ». — Postea sequitur explicatio textus epistolae sicut in praecedentibus.

14. Expositio epistolae ad Hebraeos. — Suum prologum incipit s. Doctor verbis psalmi 85, 8: *Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.* — Primo loquitur de excellentia Christi quantum ad alios deos, scilicet angelos, prophetas, sacerdotes, « ideo Christus ergo Deus magnus super omnes deos, quia splendor, quia Verbum, quia Dominus est ». Dein Christus excellit alios per comparationem ad effectus: opere creationis, illuminatione rationalis creaturae, iustificatione sanctorum. Unde concludit: « Ergo manifeste in verbis istis demonstratur Christi excellentia et haec est materia huius epistolae ad Hebraeos ». Dein loquitur de eius distinctione ab aliis epistolis paulinis; tangit breviter quaestionem de eius authenticitate et de lingua primitiva in qua fuit scripta et quis illam de hebraeo in graecum transtulerit. — Sequitur expositio textus epistolae per lectiones sicut in praecedentibus epistolis.

Authenticitas — commentariorum in epistolas paulinas quasnam difficultates patitur. Certum est, s. Doctorem epistolas s. Pauli commentariis exornasse; at difficile est cum certitudine determinare: 1.° quasnam epistolas interpretaverit; — 2.° quoadusque in illis commentariis *personalis labor* s. Doctoris se extendat; — 3.° ubi *Reportata* incipiunt. — Juxta Grabmann opus authenticum personale s. Thomae considerandi sunt: *commentarii in epistolam ad Romanos; in primam ad Corinthios;*

et probabiliter etiam *commentarii in prima decem capita epistolae ad Hebraeos*. Alii autem commentarii in epistolas paulinas debent considerari tanquam *Reportata Fr. Reginaldi de Piperno* (2), qui illos commentarios post s. Thomam legentem excepit et quos postea s. Doctor relegit et correxit, prout Tholomaeus de Luca notat. Cfr. Grabmann, p. 192-202. — Mandonnet, o. c. p. 105, n. 42. — Michelitsch, p. 180, n. 26-27 et p. 186, n. 77.

Editiones: Piana T. XVI. — Parmensis XIII. — Vivès, XX, XXI.

---

(1) Bibliographie, p. XV, n. 42 et eiusdem auctoris: Chronologie sommaire de la vie et des écrits de saint Thomas in *Revue des sciences philosophiques et theologiques* (an. 1920), p. 147, not. 1.

(2) Vide supra pag. 22.

***

## COMMENTARII APOCRYPHI IN S. SCRIPTURAM.

1. Postillae seu expositio in librum geneseos.
   Editiones: Parmensis T. XXII, 1. — Vivès T. XXXI, 1.
   Cfr. De Rubeis, Dissert. II. Cap. III. n. 1. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 119.

2. In Cantica Canticorum.
   Vide supra p. 57. Cfr. De Rubeis, Dissert. II. Cap. II. n. 1-2. Mandonnet, o. c. p. 109, n. 119,bis et p. 152.

3. Postilla in ecclesiasten.
   Vive De Rubeis, Dissert. II. Cap. III. n. 3.

4. Expositio in Danielem prophetam.
   Editiones: Parmensis T. XXIII, 134. — Vivès T. XXXI, 195.
   Cfr. De Rubeis, Dissert. III. Cap. III n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 120.

5. Expositio in duos libros Machabaeorum.
   Editiones: Parmensis T. XXIII, 195. — Vivès T. XXXI, 282.
   Cfr. De Rubeis, Dissert. III, Cap. III. n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 121.

6. Commentarii in septem epistolas canonicas.
   Editiones: Parmensis T. XXIII 230. — Vivès T. XXXI, 332.
   Cfr. De Rubeis, Dissert, VII. Cap. I. n. 1-6. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 122.

7. Super apocalypsim expositio prima. — Incipit: *Vidi Jacob in somnis scalam stantem.*
   Editiones: Parmensis T. XXIII, 325. — Vivès T. XXXI, 469.
   Cfr. De Rubeis, Dissert, VII. Cap. II. III. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 123.

8. Super apocalypsim expositio secunda. — Incipit: *Vox Domini praeparantis cervos et revelabit condensa.*
   Editiones: Parmensis T. XXIII, 512. — Vivès T. XXXII, 104.
   Cfr. De Rubeis, Dissert. VII. Cap. II-III. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 123.bis

## IV.

# OPUSCULA

Nomine *Opusculorum s. Thomae* in genere intelliguntur breves tractatus seu lucubrationes, quas ille interogatus diversis personis mittebat, ut eorum postulationibus faceret satis (1). — Haec opuscula sunt magni momenti pro doctrina thomistica, nam in quibusdam opusculis tractat ex professo de aliqua doctrina, de qua in aliis operibus solum accidentaliter vel divisim aliquid dicit (2). — Agunt autem tum de rebus theologicis, tum de philosophicis.

Iam ab initio s. Thomae opuscula colligi ceperunt ac redigi in unum volumen, quibus postea, ob magnam auctoritatem, qua apud omnes gaudebant, alia addita sunt ut genuinus eius foetus, illi tamen non tribuenda. Hinc numerus opusculorum s. Thomae valde crevit et, arte typographica inventa, sub nomine eius prodierunt. Volumen XVII. editionis Pianae continet 73 opuscula, inter quae multa apocrypha. Nil mirum ergo, si quaestio de authenticitate operum s. Thomae praesertim eius opuscula tangat. — Nos recensentes haec opuscula, indicabimus, quae sunt *authentica* et ab omnibus admissa, at non praetermittemus ea, quae a quibusdam *in dubium* revocantur; dein etiam *apocrypha* significabimus.

---

(1) « Scripsit, — s. Thomas, — tamen quaedam opuscula, secundum consultationes sibi factas a diversis principibus et personis, quae in uno volumine reponuntur ». P TOLOMAEUS LUCENSIS, *Historia ecclesiast.* libr. XXII. c. XI. apud Mandonnet, o. c. p. 61. — « ... alia multa opuscula theologicae veritatis plusquam vigenti, diversis Dominis et religiosis personis, quibus sicut ei mittebant dubia, dabat illuminatus divinitus de veritate responsa ». GUILELMUS DE TOCO, *Vita s. Thomae*, apud Mandonnet, o. c. p. 80. — « Scripsit etiam sanctus Thomas doctor diversos tractatus et libellos, ad instantiam

diversarum personarum, quibus, sicut ei mittebant dubia dabat ipse de veritate responsa. Qui tractatus recollecti in unius voluminis corpore, ipsum efficiunt satis magnum et intitulantur communiter Opuscula sancti Thomae, quia unus ab alio non dependet ». Bernardus Guidonis *Legenda s. Thomae*, apud Mandonnet, o. c. p. 69.

(2) Cfr. Grabmann, o. c. p. 4.

---

## *A.*

## OPUSCULA AUTHENTICA

### 1.

(In editione Piana I.)

### Contra errores Graecorum ad Urbanum IV. Pontificem Maximum.

Composuit hoc opusculum s. Thomas tempore pontificatus Urbani IV. (1261 — 1264) (1).

Occasio et argumentum opusculi. — Urbanus IV. Summus Pontifex s. Thomae misit ad examinandum quendam libellum, in quo multa testimonia Patrum Graecorum in favorem fidei catholicae allegata erant. S. Thomas, ut ipse in prooemio ait, diligenter libellum perlegit et in eo invenit quam plurima ad nostrae fidei assertionem utilia et expressa; admonet tamen, in auctoritatibus sanctorum Patrum in libello contentis inveniri quaedam, quae possent materiam ministrare errorum et contentionis dare occasionem et calumniae. Hinc opusculum duas veluti in partes dividitur. Prima parte, quae duobus et triginta capitibus constat, exponit Graecorum Patrum sententias quae primo aspectu ambiguae et implexae, minusque fidei catholicae videri consonae possent. Secunda pars, quadraginta duo capita continens, ostendit, quomodo ex illis auctoritatibus veritas

catholicae fidei et doceatur et defendatur, simulque errores Graecorum reiicit, qui respiciunt Spiritum Sanctum, Summi Pontificis primatum et potestatem, augustissimum Eucharistiae Sacramentum et Purgatorium.

Authenticitas huius opusculi ab omnibus admittitur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 65. — Michelitsch, p. 184, n. 58. — Grabmann, p. 211.

Editiones: Piana T. XVII, 1. — Parmensis T. XV, 239. — Vivès T. XXIX, 344.

---

(1) Mandonnet ponit annum 1263; Bibliographie, p. XVI. n. 65.

## 2.

(In editione Piana II).

### Compendium theologiae ad Fr. Reginaldum, socium suum carissimum (1).

Fr. Reginaldus de Piperno (2) electus fuit in socium et arbitrum conscientiae a s. Thoma post annum 1261, quando nempe Parisiis in Italiam remigraverat (3); unde *hoc opusculum composuit* post illum annum. Juxta Mandonnet a. 1271–1273 opus compositum est (4).

Argumentum et partitio operis. — In primo capite huius operis s. Thomas clare suum consilium aperit. Juxta Apostolum in fide, spe et charitate, quasi in quibusdam salutis nostrae compendiosis capitulis tota praesentis vitae perfectio consistit; et haec tria sunt, iuxta Augustinum, quibus Deus colitur « Ut igitur tibi, fili carissime Reginalde, compendiosam doctrinam de christiana religione tradam, quam semper prae oculis possis habere, circa haec tria in praesenti opere tota nostra versatur intentio. Primum de fide, secundo de spe, tertio vero de charitate agemus. Hoc enim et Apostolicus ordo habet et ratio recta requirit. Non enim amor rectus esse potest, nisi debitus finis spei statuatur, nec haec esse potest, si veritatis agnitio desit. Primo igitur ne-

cessaria est fides, per quam veritatem cognoscas. Secundo spes, per quam in debito fine tua intentio collocetur. Tertio necessaria est charitas, per quam tuus affectus totaliter ordinetur ». — Pars prima 246 capitibus absolvitur, et in ipsa agit de divinitate Trinitatis, hoc est, de unitate divinae essentiae, de trinitate personarum et de effectibus Trinitatis, dein transit considerare humanitatem Christi, seu ea, quae ad Incarnationem pertinent. — Secunda pars, de spe, est manca et imperfecta et solum 10 capita complectitur. In hac parte incepit agere de oratione dominica, « per quam maxime spes nostra in Deum erigitur, dum ab ipso Deo edocemur, quid ab ipso petendum sit... Sic igitur prosequentes ea, quae in oratione dominica continentur, demonstrabimus quidquid ad spem christianorum pertinere potest; scilicet in quo spem ponere debeamus et propter quam causam, et quae ab eo sperare debeamus ». — Pars tertia integra desideratur.

Hoc opusculum est genuinum opus s. Thomae. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 42 et 106, n. 46,50. — Michelitsch, p. 184, n. 59. — Grabmann, p. 211-212.

Editiones: Piana T. XVII, 9. — Parmensis T. XVI, 1. — Vivès T. XXVII. 1.

---

(1) Alii tituli: *De fide et spe ad fratrem Raynaldum; — De fide, spe et caritate ad fratrem Raynaldum; — Brevis compilatio theologiae ad fratrem Raynaldum de Piperno.*

(2) De *Fr. Reginaldo de Piperno* vide supra p. 22.

(3) Quétif. Echard, o. c. I. p. 382.

(4) Bibliographie, XV. n. 46.

## 3.

(In editione Piana III.)

## De rationibus fidei contra Graecos, Armenos et Saracenos ad Cantorem Antiochenum (1).

Tempus compositionis Mandonnet (2) assignat a. 1261-1268. — Quis fuerit Cantor Antiochenus, cui hoc opusculum nuncupatum est, nos latet.

Occasio et argumentum. — Cantor Antiochenus petierat a s. Thoma, ut ei convenientes et aptas rationes daret, ad tuendos et vindicandos quosdam articulos nostrae fidei, quos Saraceni, Armeni et Graeci irridebant vel impugnabant. Huic desiderio s. Thomas hoc opuscolo satisfacit, unde in primo capite dicit: « Tuae igitur petitioni, quae ex pio desiderio videtur procedere, ut sis, iuxta Apostolicam doctrinam paratus ad satisfactionem omni poscenti te rationem, satisfacere volens, aliqua facilia secundum quod materia patietur, super praemissa tibi exponam, quae tamen alibi diffusius pertractavi ». — Opusculum dividitur in 10 capita. Primo capite recensentur articuli fidei, qui iuxta interrogantem Cantorem irridentur a Saracenis, Armenis et Graecis. Illi articuli respiciebant mysterium ss. Trinitatis; Dominum Nostrum Jesum Christum crucifixum; augustissimum sacramentum Eucharistiae; statum animarum post mortem; liberum hominis arbitrium. — Sequentibus vero capitibus respondet et defendit articulos praedictos.

Authenticitas opusculi omnibus certa est. — Cfr. Mandonnet o. c. p. 107, n. 64. — Michelitsch, p. 185, n. 50. — Grabmann, p. 212.

Editiones: Piana T. XVII, 48. — Parmensis T. XVI, 86. — Vivès T. XXVII, 128.

---

(1) Alius titulus: *Declaratio quorundam articulorum contra Graecos...*
(2) Bibliographie, p. XVI. n. 64.

## 4.

(In editione Piana IV.)

De duobus praeceptis caritatis et decem legis praeceptis. (1)

Tempus compositionis Mandonnet (2) assignat Quadragesimam a. 1273.

Argumentum opusculi est asceticum, agit nempe de duobus praeceptis caritatis, de amore scilicet Dei et proximi, deinde sigillatim de decem decalogi praeceptis. — Apte dividitur in 13

capitula; quorum prima tria agunt de duobus caritatis praeceptis, alia decem de praeceptis decalogi. — Hoc opusculum inter *Reportata* est adnumerandum, nam Fr. Petrus de Andria (3) illud ex ore s. Thomae excepit, dum s. Doctor Neapoli conciones quadragesimales a. 1273 haberet.

Genuinum opus s. Thomae hoc opusculum omnes agnoscunt. Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 74. — Michelitsch, p. 187, n. 81. — Grabmann, p. 212-213.

Editiones: Piana T. XVII, 53. — Parmensis T. XVI, 97. — Vivès T. XXVII, 144.

(1) Alius titulus: *Collationes de decem praeceptis.*
(2) Bibliographie, p. XVII. n. 74.
(3) De illo vide supra p. 60.

5.

(In editione Piana V.)

De articulis fidei et sacramentis Ecclesiae ad archiepiscopum Panormitanum.

Exaravit hoc opusculum s. Thomas post annum 1261, nam Leonardus de Comitibus, ad quem opusculum dirigitur, incepit regere ecclesiam Panormitanam a. 1261 et mortuus est circa annum 1276 (1). Mandonnet (2) assignat tempus compositionis a. 1261-1268.

Occasio et argumentum opusculi. — Archiepiscopus Panormitanus petiit a s. Thoma, ut de articulis fidei et Ecclesiae sacramentis aliqua ei compendiose pro memoriali transcriberet, cum dubitationibus, quae circa haec moveri possent. In hoc ergo opusculo s. Thomas breviter, clare et lucide exponit, quid necessarium sit credere de Deo uno, de Deo trino, de processione creaturarum a Deo, de Christi divinitate et humanitate; in ultimo exponit doctrinam catholicam de septem Sacramentis Novae Legis.

Dum autem doctrinam catholicam explicat, exponit simul et confutat diversos errores, quos contra proferunt Gentiles, Hebraei, vel alii multiplices haeretici.

Opusculum est opus genuinum s. Thomae. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 47. — Michelitsch, p. 185, n. 61. — Grabmann, p. 213.

Editiones: Piana T. XVII, 61. — Parmensis T. XVI, 115. — Vivés T. XXVII, 171.

(1) Gams Bon. O. S. B. *Series episcoporum Ecclesiae catholicae.* Ratisbonae, 1873, p. 952. — Eubel Con. O. M. C. *Hierarchia Catholica Medii Aevi.* Monasterii 1898 Vol, I. pag. 407.

(2) Bibliographie; p. XV. n. 47.

6.

(In editione Piana VI.)

Devotissima expositio super Symbolum Apostolorum. (1)

Tempus compositionis — Mandonnet assignat annum 1273 tempore Quadragesimae. (2)

Argumentum — iam ipse titulus indicat. Duodecim capitibus explanat singulos articulos symboli; pro uno quoque articulo explicando adducit auctoritates ex S. Scriptura et simul contrarios errores haereticos confutat et, data occasione, docet, quid sumendum ad nostram eruditionem pro vita christiana. — Opusculum pertinet ad *Reportata.*

De authenticitate operis nemo dubitat. — Cfr. Mandonnet o. c. p. 107, n. 73. — Michelitsch, p. 187, n. 80. — Grabmann, p. 113.

Editionis: Piana T. XVII, 64. — Parmensis T. XVI, 135. — Vivés T. XXVII, 203.

(1) Alius titulus: *Collationes de Credo in Deum.*

(2) Bibliographie, p. XVII n. 73.

7.

(In editione Piana VII.)

Expositio devotissima orationis Dominicae. (1)

Tempus compositionis — iuxta Mandonnet est annus 1273 tempore Quadragesimae. (2)

Argumentum et divisio. — Opusculum habet prologum, septem articulos et compendium. In prologo loquitur de excellentia orationis Dominicae et exponit verba: *Pater noster, qui es in coelis;* dein in septem articulis *septem petitiones* eiusdem orationis Dominicae explanat; ultimo habetur: Compendiosa expositio totius orationis Pater noster. — Etiam hoc opusculum est *Reportatum.*

Authenticitas opusculi a nullo in dubium vocatur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 72. — Michelitsch, p. 186, n. 78. — Grabmann, p. 214.

Editiones: Piana T. XVII, 71. — Parmensis T. XVI, 123. — Vivès T. XXVII, 183.

(1) Alii tituli: *Collationes de Pater noster. Expositio de Pater noster.*
(2) Bibliographie, p. XVII. n. 72.

## 8.

(In editione Piana VIII.)

### Devotissima expositio super salutatione angelica.

Tempus elucubrationis huius opusculi Mandonnet assignat a. 1273 tempore Quadragesimae. (1)

Argumentum. — Hoc opusculum his verbis s. Thomas incipit: « *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.* In ista salutatione continentur tria: unam partem fecit Angelus, scilicet *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;* aliam partem fecit Elisabeth, mater Joannis Baptistae, scilicet: *Benedictus fructus ventris tui;* tertiam partem addidit Ecclesia, scilicet: *Maria;* nam Angelus non dixit: *Ave Maria,* sed: *Ave gratia plena.* Et hoc nomen, scilicet *Maria,* secundum suam interpretationem convenit dictis Angeli, sicut patebit. » — Sic ergo, divisa salutatione angelica in tres partes, illas in hoc opusculo explanat. Notandum tamen, quod s. Thomas in hoc suo scripto solummodo primam partem salutationis angelicae declarat; de secunda parte, scilicet: *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis etc.*

nec unum verbum facit; ratio autem est, quia tunc temporis nondum in usu erat, nec ab Ecclesia addita. (2) — Opusculum inter *Reportata* numerandum est.

Opus est authenticum s. Thonae. — Cfr. Michelitsch p. 187, n. 79. — Grabmann, p. 214. — Mandonnet in opere citato p. 110, n. 139, illud inter apocrypha recenset; sed in Bibliographie p. XVII, n. 74bis inter authentica ponit; ita pariter in articulo: *Chronologie sommaire de la vie et des écrits de saint Thomas* in « Revue des Sciences philosophiques et théologiques; » neuvième année (1920) p. 149.

Editiones: Piana T. XVII, 75. — Parmensis T. XVI, 133. — Vivès T. XXVII, 199.

---

(1) Bibliographie, p. XVII, n. 74bis.

(2) Cfr. A. Weiss, *Historia ecclesiastica* Graecii et Viennae, 1910. T. II p. 660.

## 9.

(In editione Piana X.)

### Responsio ad Fr. Joannem Vercellensem, Generalem Magistrum Ordinis Praedicatorum de articulis xlii. (1)

Tempus et occasio lucubrationis. — Fr. Joannes de Vercellis, Magister generalis Ordinis Praedicatorum, rexit Ordinem a. 1264-1283, et a. 1271 quaedam quaesita de rebus theologicis et philosophicis, quae tunc temporis inter theologos agitabantur, misit ad s. Doctorem, ut ad illa breviter responderet. S. Thomas, accepta schedula, in quo 42 quaesita seu articuli continebantur, statim suam responsionem illi misit. (2)

Argumentum. — Quadraginta duo articuli sunt diversi argumenti philosophici et theologici. Sic e. g. aliqui articuli seu quaesita respiciunt angelos prout sunt motores corporum caelestium; dein: an post diem iudicii corpora sanctorum et damnatorum erunt incorruptibilia per naturam, seu naturaliter, quia cessabit motus coeli, qui est causa corruptionis;

an infernus sit in centro vel circa centrum terrae; an in inferno erit fletus corporalis quantum ad lacrimarum resolutionem etc. Ad hos articulos, sicut inuimus, statim s. Thomas respondit, nam in principio opusculi dicit: « Sequenti die, secundum formam a vobis traditam (h. e. Magistri Generalis), praetermissis aliis occupationibus, secundum quod mihi occurrit, respondere curavi. » Dein subiungit: «... hoc tamen in principio protestans, quod plures horum articulorum ad fidei doctrinam non pertinent, sed magis ad philosophorum dogmata. Multum autem nocet, talia quae ad pietatis doctrinam non spectant, vel asserere, vel negare, quasi pertinentia ad sacram doctrinam... Unde mihi videtur tutius esse, ut haec quae philosophi communiter senserunt et nostrae fidei non repugnant, neque sic esse asserenda ut dogmata fidei, licet aliquando sub nomine philosophorum introducantur; neque sic esse neganda, tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi contemnendi doctrinam fidei occasio praebeatur. » — Opusculum his verbis claudit: « Haec sunt, Pater Reverende, quae pro nunc occurrunt, licet plura sint extra Theologiae limites requisita. »

Authenticitas — ab omnibus admittitur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 58. — Michelitsch, p. 185, n. 64. — Grabmann, p. 214.

Editiones: Piana T. XVII, 79. — Parmensis T. XVI, 163. — Vivès T. XXVII, 248.

---

(1) Alii tituli: *Tractatus responsionum ad Fr. Joannem* etc. — *Responsio quarundam quaestionum ad Fr. Joannem de Vercellis* etc. — *Declaratio XLII quaestionum* etc.

(2) De Rubeis Dissert XVIII. Cap. I, n. 1. — Mandonnet, Bibliographie, p. XVI, n. 58. — De *B. Joanne Vercellensi*, qui rexit Ordinem ab a. 1264 ad a. 1283, cfr. P. Mortier O. P., *Histoire des Maîtres généraux de l'Ordre des Frères Prêcheurs*. Paris, 1905, T. II, p. 1-170.

## 10.

(In editione Piana XI.)

### Responsio ad lectorem venetum de articulis XXXVI.

Tempus compositionis. — P. Mandonnet (1) assignat a. 1271. — Quis fuerit lector Venetus, ad quem opusculum dirigitur, non liquet.

Argumentum. — Similes interrogationes ac Fr. Joannes de Vercellis etiam lector Venetus miserat s. Thomae, ab illo responsionem petens. In his interrogationibus inveniuntur quaedam, quae etiam sacramentum Eucharistiae respiciunt. S. Thomas respondendo ad interrogationes, sic opusculum exorditur: « Lectis vestris litteris, in eis inveni articulorum multitudinem numerosam, super quibus a me vobis responderi infra quatriduum vestra caritas postulat. Et licet essem in aliis plurimum occupatus, ne tamen deessem vestrae dilectionis obsequio, dilatis parumper aliis, quibus me intendere oportebat, quaestionibus a vobis propositis proposui per singula respondere. » — Opusculum autem hoc modo terminat: « Haec sunt, carissime, quae ad articulos a vobis transmissos respondeo diffusius, quam petistis; non enim absolute responderi poterat ad ea, quae diversum sensum continere poterant; praesertim cum non scripseritis, quid contra huiusmodi articulos obiiciebatur. Valeat caritas vestra diu et pro hoc labore mihi orationum suffragia rependatis. »

Authenticitas — opusculi certa est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 57. — Michelitsch, p. 185, n. 64. — Grabmann, p. 214.

Editiones: Piana T. XVII, 81. — Parmensis T. XVI, 169. — Vivès T. XXVII, 256.

(1) Bibliographie, p. XVI. n. 57.

*Nota:* Ad opuscula duo praecedentia refertur opusculum cui titulus: *Articuli remissi*, et habetur in editione Vivès T. XXXII, 832. — De eo cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 60 et p. 137–139.

## 11.

(In editione Piana XII.)

### Responsio ad lectorem Bisuntinum de articulis VI. (1)

Tempus compositionis. — Mandonnet (2) assignat a. 1271.

Argumentum. — Lector Bisuntinus, ad quem opusculum directum est, est Fr. Gerardus Bisuntinus, O. P. qui Vesontione in Gallis sacras litteras tradebat, (3) ideo opusculum his verbis incipit: « Carissimo sibi in Christo Fratri Gerardo Bisuntino Ord. Fratrum Praedic. Fr. Thomas de Aquino eiusdem Ordinis con-

fraterna dilectione salutem ». Fr. Gerardus ergo a s. Thoma petiit iudicium de quibusdam historiolis, quae vulgabantur e suggestu. Historiolae, vel articuli erant: an stella, quae Magis apparuit, haberet figuram crucis; an habaret figuram hominis; an haberet figuram crucifixi. Quarta quaestio: an parvulae manus pueri Jesu nati creaverint stellas. Quinta quaestio: an ex quo Simeon dixit beatae Virgini: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, quolibet die naturali usque ad resurrectionem Christi septies illud recoleret pia Virgo cum dolore vehementi. Sexta quaestio demum: an circumstantias peccati trahentes in alterum genus, non notabiliter aggravantes, teneatur homo confiteri etiam innotescendo personam cum qua peccaverit. — Ad has quaestiones s. Thomas in hoc brevissimo opusculo respondet et quidem valde breviter. De quibusdam quaestionibus notat: « ... non reputo hoc esse praedicandum ... » — « Non enim decet praedicatorem veritatis ad fabulas ignotas divertere. Si autem ab aliquo sit praedicatum, non arbitror esse necessarium, quod revocetur, nisi forte ex hoc populo scandalum sit exortum et tunc non deberet ut erroneum reprobari, sed ut incertum exponi. » — Ad ultimam quaestionem de circumstantiis peccatorum in confessione aperiendis longius respondet et dat solutionem, quam postea Concilium Tridentinum eodem modo exposuit.

Opusculum est genuinum opus s. Thomae. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 61. — Michelitsch, p. 185, n. 65. — Grabmann, p. 215.

Editiones: Piana T. XVII, 83. — Parmensis T. XVI, 175. — Vivès T. XXVII, 264.

(1) Alius titulus: *Declaratio VI. articulorum ad lectorem Bisuntinum.*
(2) Bibliographie, p. XVI. n. 61.
(3) De Rubeis, Dissert. XVIII. Cap. III. n. 2.

## 12.

(In editione Piana XV.)

### De substantiis separatis seu de Angelorum natura ad Fr. Reginaldum socium suum carissimum (1).

Tempus compositionis. — Juxta Mandonnet (2) assignandus est annus 1272-1273.

Argumentum et divisio. — Consilium operis statim a principio auctor sic aperit:... « Intendentes sanctorum Angelorum excellentiam utcumque depromere, incipiendum videtur ab his, quae antiquitus humana coniectura aestimavit; ut si quid invenerimus fidei consonum, accipiamus; quae vero doctrinae repugnant catholicae, refutemus ». — Opus habet XIX capita et bene in duas partes dividi potest. Prima parte, quae usque ad caput XVI protenditur, ad examen vocat opiniones Graecorum philosophorum inter ethnicos; Arabum inter mahumedanos; inter iudaeos Saducaeorum; Manichaeorum et Origenis inter christianos; quorum commenta plura diligentissime expendit ac profligat. Pars altera incipit a capite XVII quod ita exorditur s. Thomas: « Quia igitur ostensum est, quid de substantiis spiritualibus praecipui philosophi, Plato et Aristoteles, senserunt quantum ad earum originem, conditionem naturae et in quo ab eis alii errantes dissenserunt, restat ostendere, quid de singulis habeat christianae religionis assertio ». Quare eodem capite XVII, agit de creatione Angelorum; cap. XVIII, de conditione eorum; cap. XIX, de distinctione Angelorum. Sed neque caput istud, neque opus absolvit s. Thomas, nam mors illum praevenit (3); ideo opusculum adnumerandum est inter eius *opera infecta*.

Opus est genuinus foetus s. Thomae. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 20. — Michelitsch, p. 185, n. 67. — Grabmann, p. 215.

Editiones: Piana T. XVII, 86. — Parmensis T. XVI, 183. — Vivès T. XXVII, 273.

---

(1) Alii tituli: *De substantiis separatis.* — *De Angelis seu de substantis separatis.* — De *Fr. Reginaldo* vide supra p. 22.

(2) Bibliographie, p. XIII, n. 20.

(3) De Rubeis, Dissert. XVIII, C. III, n. 4.

## 13.

(n editione Piana X V.)

### De unitate intellectus contra Averroistas. (1)

Tempus lucubrationis et occasio opusculi. — Composuit hoc opus s. Doctor, quando secunda vice Parisios venit. De

Rubeis (2) assignat annum 1269; Mandonnet (3) a. 1270. — Occasionem huic operi dedit resuscitatio errorum Averrois circa unitatem intellectus in omnibus hominibus, quorum errorum praecipuus patronus tunc temporis fuit Sigerus de Brabantia (4).

Argumentum. — Opus non est divisum neque in capita, neque in articulos. — Statim tamen a principio s. Thomas dicit, eius praecipuum consilium esse, ut Averroisticum errorem repugnantem ostenderet principiis philosophiae, nihilominus christianae etiam fidei adversum esse... «Intendimus autem, inquit, ostendere positionem praedictam non minus contra principia philosophiae esse, quam contra fidei documenta ». His declaratis, sanam doctrinam explicat et obiectiones adversariotrum diluit. Dein totum tractatum hoc modo concludit: « Haec igitur sunt, quae in destructionem praedicti erroris conscripsimus, non per documenta fidei, sed per ipsorum philosophorum rationes et dicta. Si quis autem gloriabundus de falsi nominis scientia velit contra haec, quae scripsimus, aliquid dicere, non loquatur in angulis, nec coram pueris, qui nesciunt de causis arduis iudicare; sed contra hoc scriptum scribat, si audet, et inveniet non solum me, qui aliorum sum minimus, sed multos alios, qui veritatis sunt cultores, per quos eius errori resisteretur vel ignorantiae consuletur ».

Authenticitas est extra omne dubium. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 19. — Michelitsch, p. 182, n. 34. — Grabmann, p. 215.

Editiones: Piana T. XVII, 97. — Parmensis T. XVI, 208. — Vivès T. XXVII, 311.

---

(1) Alii tituli: *Tractatus contra errores Averrois circa intellectum humanum.* — *Tractatus de intellectu contra errorem Averrois;* imo et: *Tractatus contra magistrum Sogerum de unitate intellectus.*

(2) De Rubeis, Dissert. XIX. Cap I, n. 2.

(3) Bibliographie, p. XIII, n. 19.

(4) De Averroismo cfr. Mandonnet, *Siger de Brabant et l'averroisme latin au XIII siècle.* Louvain 1908-1910. — « Dictionnaire de Théologie catholique » (Paris 1909) T. I. p. 2628 sqq.

## 14.

(In editione Piana XVII.)

### Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu. (1)

Occasio et tempus compositionis. — Inter praecipuos adversarios Ordinum Mendicantium, qui circa medium saeculum XIII. in universitate Parisiensi contra illos insurrexerunt, praeter Guilelmum de s. Amore et Gerardum de Abbatisvilla, erat etiam Nicolaus Lexoviensis, magister pariter Parisiensis. Ipse etiam calamum strinxerat contra Ordines Mendicantes et inter alia scripsit librum: *De perfectione et excellentia status clericorum*, contra opusculum s. Thomae: *De perfectione vitae spiritualis*, ex quo etiam 17 « errores » excerpsit. Ideo s. Thomas denuo fuit coactus Ordines Mendicantes hoc scripto defendere (2). — Circa annum 1270 hoc opusculum edidit, ut P. Mandonnet notat (3).

Argumentum. — Opusculum divisum est in XVI capita. In primo capite, declaratis breviter consiliis hostium Ordinum Mendicantium, statim s. Doctor exponit suum scopum in hoc opusculo prosequendum: « Haec igitur sunt eorum consilia, quibus impedire conantur tendentium ad perfectionem profectum. Sed secundum Salomonis sententiam, non est consilium contra Dominum, de cuius confisi auxilio, spiritualibus armis, quae sunt potentia Deo, praedicta consilia nitemur destruere, et praesumptionis altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. De singulis igitur praemissorum hoc ordine prosequemur: ut primo ponamus ea, quibus suam intentionem fundare nituntur; post haec ostendere conabimur secundum quid et quomodo singulum praedictorum repugnat veritati, quae secundum pietatem est; deinde ostendemus ea, quibus utuntur ad suae opinionis assertionem, inania et frivola esse ». — Haec autem omnia excellenti modo sequentibus XV capitibus explet. Ultimum caput concludit: « Haec igitur sunt, quae ad praesens scribenda occurrunt contra erroneam et pestiferam doctrinam avertentium homines a religionis ingressu. Si quis autem his contradicere voluerit, non coram pueris garriat, sed scribat et scripturam

proponat in publico, ut ab intelligentibus iudicari possit, quid verum sit, et ut quod erroneum est, auctoritate veritatis confutetur ».

Authenticitas opusculi certissima est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 68. — Michelitsch, p. 185, n. 68. — Grabmann, p. 216.

Editiones: Piana T. XVII, 104. — Parmensis T. XV, 103. — Vivès T. XXIX, 157.

---

(1) Alii tituli: *Contra doctrinam retrahentium a religione contra Geraldos. — Contra doctrinam Geraldinorum et retrahentium a religione.*

(2) Haec tria opuscula, nempe 14.um 15.um et 16.um intime connectuntur cum celebri pugna, quam circa medium saeculum XIII, quidam magistri in universitate Parisiensi moverunt contra Ordines Mendicantes. Documenta huius pugnae inveniuntur in Denifle-Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, Parisiis 1889. T. I. passim. Cfr. etiam V. Seppelt, *Der Kampf der Bettelorden an der Universität Paris in der Mitte des 13. Jahrh.* (Kirchengeschichtliche Abhandlungen, Breslau, t. III, 1905). — Opuscula non sunt iuxta chronologicum ordinem posita, ut manifestum est; at ut iam monuimus, sequimur ordinem editionis Pianae.

(3) Bibliographie, p. XVII, n. 68.

## 15.

(In editione Piana XVIII.)

### De perfectione vitae spiritualis. (1)

Occasio et tempus compositionis. — Opusculum Guilelmi de S. Amore: *De periculis novissimorum temporum* damnatum est a. S. Sede a. 1256, (2) at inimici Ordinum Mendicantium in universitate Parisiensi non se submiserunt, pugnam prosecuti sunt. Inter ipsos erat Gerardus de Abbatisvilla, qui inter alia contra Ordines Mendicantes scripsit opusculum: *Contra adversarium perfectionis christianae*, in quo antiquos errores contra Ordines Mendicantes recoquebat (3). — Contra illum ergo c. annum 1269 hoc opusculum s. Thomas exaravit. (4)

Argumentum. — De qua re in hoc opusculo agitur, statim a principio s. Thomas dicit: « Quoniam quidam perfectionis

ignari de perfectionis statu vana quaedam dicere praesumpserunt, propositum nostrae intentionis est de perfectione tractare: quid sit esse perfectum; qualiter perfectio acquiritur; quis sit perfectionis status; et quae competant assumentibus perfectionis statum ». — Dein 26 capitibus evolvit hoc argumentum; confutat obiectiones adversariorum et ultimum caput hoc modo concludit: « Haec respondenda occurrunt his, qui perfectionem religionis denigrare nituntur, a contumeliis abstinendo... Si quis igitur contra haec rescribere voluerit, mihi acceptissimum erit. Nullo enim modo melius quam contradicentibus resistendo aperitur veritas et falsitas confutatur, secundum illud Salamonis (Proverb. 27, 17): *Ferrum ferro acuitur et homo exacuit faciem amici sui.* Ipse autem Deus iudicet inter nos et eos, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen ».

Authenticitas nulli dubia est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 67. — Michelitsch, p. 186, n. 69. — Grabmann, p. 216.

Editiones: Piana T. XVII, 114. — Parmensis T. XV, 76. — Vivès T. XXIX, 117.

---

(1) Alius titulus: *De prefectione vitae spiritualis contra magistrum Geraldum.*

(2) Denifle-Chatelain, o. c. p. 331 sq.

(3) Denifle-Chatelain, o. c. p. 415, n. 2.

(4) Bibliographie, p. XVII, n. 67.

## 16.

(In editione Piana XIX.)

### Contra impugnantes dei cultum et religionem. (1)

Occasio et tempus compositionis. — Anno 1255 Guilelmus de S. Amore, magister theologiae in universitate Parisiensi et unus ex principalioribus impugnatoribus Ordinum Mendicantium, ediderat librum, cui titulus erat: *De periculis novissimorum temporum.* (2) In hoc opere Guilelmus totus erat, ut religioso statui, ab Ecclesia approbato, invidiam crearet. Contra hunc ergo librum s. Thomas a. 1257 iuxta P. Mandonnet (3) hoc opusculum edidit.

Argumentum et divisio. — Opusculum dividitur in prooemium, XXVI capita et epilogum. — In prooemio, expositis diversis artibus et calumniis, quibus adversarii Ordines religiosos opprimere nituntur, suum consilium aperit his verbis: « Praedictorum igitur malignantium nequitiam comprimere intendentes, hoc ordine procedamus: Primo ostendemus, quid sit religio et in quo perfectio religionis consistat; quia eorum tota intentio contra religiosos esse videtur. Secundo ostendemus ea, quibus religiosos opprimere nituntur, frivola et nulla esse. Tertio monstrabimus, quod ea, quae ad religiosam infamiam proferunt, nequiter proponuntur. » — Ad primum respondet capite I., ad secundum capp. II–VII., ad tertium capp. VIII–XXVI.

Authenticitas – ab omnibus asseritur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 66. — Michelitsch, p. 186, n. 70. Grabmann, p. 216.

Editiones: Piana T. XVII, 127. — Parmensis T. XV, 1. — Vivès T. XXIX, 1.

---

(1) Alius titulus: *Contra magistrum Guilelmum de S. Amore.*

(2) Denifle-Chatelain, o. c. p. 296, n. 6. — De *Guilelmo de S. Amore* cfr. Maurice Perrod, *Maître Guillaume de St-Amour, l'université de Paris et les ordres mendients au XIII. siècle.* Paris 1896; *Étude sur la vie et sur les oeuvres de Guillaume de St-Amour,* Lons-le-Saunier, 1909.

(3) Bibliographie, p. XVII. n. 66.

## 17.

(In editione Piana XX.)

### De regimine principum ad regem Cypri. (1)

Annus lucubrationis. — Regnum Cypri fundatum est tempore expeditionum cruciatarum. Reges, qui in considerationem veniunt, sunt vel Hugo II., vel Hugo III. (2) — Mandonnet (3) annum compositionis assignat 1265–1266.

Argumentum — statim a principio opusculi s. Thomas his verbis exponit: « Cogitanti mihi quid offerrem regiae celsitudini dignum, meaeque professioni congruum et officio, id occurrit potissime offerendum, ut regi librum de regno scriberem; in quo et regni originem et ea, quae ad regis officium pertinent, se-

cundum Scripturae divinae auctoritatem, philosophorum dogmata et exempla laudatorum principum diligenter depromerem, iuxta ingenii proprii facultatem; — principium, progressum, consummationem operis ex illius expectans auxilio, qui est rex regum et Dominus dominantium, per quem reges regnant, Deus, magnus Dominus et rex magnus super omnes Deos. » — Opus totum divisum est in IV libros. *Primus* liber habet 15 capita; *secundus* 16 cap. — *tertius* habet 22 cap. — *quartus* habet 28 cap.

De authenticitate — huius opusculi magna est quaestio inter eruditos. Certe omnes quatuor libri non sunt s. Thomae, sed liber *primus*, et *secundus* usque ad caput IV., ubi in medio capitis desinit his verbis: « Opportunum est igitur in conversatione humana modicum delectationis quasi pro condimento habere, ut animus hominis recreetur. » — Reliqua pars operis, nempe a medio capite quarto libri secundi usque ad finem operis, tribuitur a Quétif-Echard (4) et B. De Rubeis Fr. Tolomaeo de Lucca, quamvis Grabmann de hac re non ita certus sit. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 24 — Michelitsch, p. 182, n. 35. — Grabmann, p. 216-219.

Editiones: Piana T. XVII, 160. — Parmensis T. XVI, 225. — Vivès T. XXVII, 336.

---

(1) Alii tituli: *De regno ad regem Cypri. — Tractatus de regimine principum ad regem Cypri. — De rege et regno,*

(2) Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 337. — De Rubeis, Dissert. XXII. Cap. I, n. 1. — Hugo II. factus est rex Cypri a. 1254; — illum secutus est Hugo III. a. 1264. Vide: Moroni, *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica.* Venezia, 1842, T. XIII. p. 188.

(3) Bibliographie, p. XIV. n. 24.

(4) Quétif-Echard, o. c. p. 336. — De Rubeis, Dissert. XXII. Cap. I. n. 3. — De *Ptolomaeo Lucensi* vide supra p. 27.

## 18.

(In editione Piana XXI.)

### De regimine judaeorum ad comitissam Flandriae. (1)

Tempus compositionis — Comitissa Flandriae, ad quam opusculum dirigitur, est *Margarita*, (2) quae comitatum rexit ab a. 1245-1279. At propter titulum alium quem opusculum gerit:...

*ad ducissam Brabantiae*, potest esse etiam *Alix* vel *Adelheidis*, (3) quae ducatum Brabantiae habuit ab anno 1261-1267. — Juxta P. Mandonnet (4) tempus compositionis esset a. 1269-1272.

Occasio et argumentum opusculi. — Comitissa Flandriae circa regimen suorum subditorum praesertim Judaeorum quaedam a s. Thoma per litteras exquisierat. Inter alia ab ipso quaerebat: an liceat ei aliquo tempore et quo exactionem facere in Judaeos; an Judaeus, si peccaverit, poena pecuniaria sit puniendus, cum nihil habet praeter usuras; an co nitissae liceat facere exactiones in suos subditos christianos; an bonum sit, ut per provinciam eius Judaei signum distinctivum a christianis deportare cogantur. — Ad istas quaestiones s. Thomas breviter respondet et hoc modo opusculum concludit: « Haec sunt, illustris et religiosa Domina, quae vestris quaestionibus ad praesens respondenda occurrunt, in quibus vobis non sic meam sententiam ingero, quin magis suadeam peritiorum sententiam esse tenendam. Valeat Dominatio vestra per tempora longiora. »

Opus est genuinus foetus s. Thomae. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 25. — Michelitsch, p. 182, n. 36. — Grabmann p. 219-220.

Editiones: Piana T. XVII, 192. — Parmensis T. XVI, 292. — Vivès T. XXVII, 413.

(1) Alii tituli: *De regimine Judaeorum ad ducissam Brabantiae. — Determinatio quarundam quaestionum ad comitissam Flandriae. — Tractatus de regimine subditorum ad ducissam Brabantiae. — Solutio quarundam quaestionum ad comitissam Flandriae.*

(2) Quétif-Echard, o. c. p. 337.

(3) Grabmann, o. c. p. 219.

(4) Bibliographie, p. XIV. n. 25.

## 19.

(In editione Piana XXII.)

De forma absolutionis ad Generalem Magistrum Ordinis. (1)

Tempus lucubrationis. — Magister Generalis Ordinis, ad quem opusculum dirigitur, est Fr. Joannes Vercellensis. (2)

Tempus compositionis opusculi P. Mandonnet (3) assignat a. 1269-1272.

Occasio et argumentum opusculi. — B. Joannes de Vercellis ad Aquinatem libellum examinandum transmiserat, in quo « inveni, » — inquit s. Doctor, « assertionem cuiusdam valde temerariam dicentis, quod sacerdos absolvendo uti non debet hac forma: *Ego te absolvo.* Quod quidem praesumptuosum iudico, quia repugnat evangelicis dictis... » — Opusculum est divisum in quinque capita. Capite primo demonstrat formam absolutionis sacramenti poenitentiae esse formulam indicativam non deprecativam; ideo caput primum concludit: « Non ergo est forma in sacramento poenitentiae: *Absolutionem et remissionem tribuat tibi omnipotens Deus*, sed: *Ego te absolvo.* Cap. secundo, tertio et quinto respondet argumentis anonymi auctoris; quarto capite autem demonstrat impositionem manus non esse de necessitate huius sacramenti. Totum opusculum claudit his verbis: « Voluntas autem Dei fuit, ut pro defensione potestatis Petro traditae, in festo Cathedrae Petri hoc opus de vestro mandato compilans laborarem. »

Authenticitatem — opusculi omnes unanimes admittunt. — Cfr. Mandonnet, o. c p. 106, n. 53. — Michelitsch, p. 186, n. 71. — Grabmann, p. 220.

Editiones: Piana T. XVII, 193. — Parmensis T. XVI, 295. — Vivès T. XXVII, 417.

(1) Alii tituli: *De absolutione.* — *De forma poenitentiae absolutionis.*
(2) De *beato Joanne Vercellensi* vide supra p. 79.
(3) Bibliographie, p. XV. n. 53.

## 20.

(In editione Piana XXIII.)

Expositio primae decretalis ad archidiaconum Tridentinum. (1)

Tempus compositionis — Mandonnet (2) assignat a. 1259-1268.

Argumentum opusculi. — Decretalis prima lata fuit ab Innocentio III., sacro approbante concilio Lateranense quarto,

quod a. 1215 celebratum est. Ab hac decretali initium sumit *collectio Decretalium*, quam iussu Gregorii IX aggressus est perfecitque s. Raymundus de Pennafort O. P. inter annum 1230 et 1234 (3). — Decretalis titulum gerit: *De summa Trinitate et fide catholica* et incipit: « Firmiter credimus ». Continet in compendio doctrinam catholicam de ss. Trinitate, de creatione rerum a Deo, de Incarnatione Verbi, de sacramentis, de unitate Ecclesiae etc. Hoc ergo in opusculo hanc primam Decretalem s. Doctor suo commentario illustrat doctrinam catholicam explicando et quosdam errores haereticos, praesertin circa Incarnationem, confutando.

Authenticitas — opusculi nulli dubium ingerit. — Cf. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 69. — Michelitsch, p. 179, n. 17. — Grabmann, p. 220.

Editiones: Piana T. XVII, 195 — Parmensis T. XVI, 300. — Vivès T. XXVII, 424.

---

(1) Alii tituli: *Expositio primae Decretalis ad archidiaconum Tudertinum.* — *Expositio primae Decretatis ad archidiaconum Cudestinum*, — erratum. — Quis fuerit archidiaconus Tridentinus vel Tudertinus, ad quem hanc expositionem primae Decretalis sicut et illam secundae s. Doctor misit, non liquet.

(2) Bibliographie, p. n. 69, XVII.

(3) De Rubeis, Dissert. VIII Cap. III n. 1.

## 21.

(In editione Piana XXIV.)

Expositio super secundam Decretalem ad eundem. (1)

Tempus lucubrationis — idem ac praecedentis opusculi (2).

Argumentum opusculi. — Haec secunda Decretalis fuit pariter lata ab Innocentio III a. 1216, eodem concilio quarto Lateranense approbante. Incipit: « Damnamus », et est secunda in collectione Decretalium Gregorii IX. Titulum fert: De errore abbatis Joachim. — Joachim, abbas Floriacensis († 1202) edidit libellum *De unitate seu essentia Trinitatis* in quo Petrum Lom-

bardum impugnavit ac si eius sententia: « Quoniam quaedam summa res est Pater et Filius et Spiritus Sanctus et illa non est generans, neque genita, neque procedens » quaternitas in Deo adstrueretur, nempe tres personae et illa summa res. Ipse autem Joachimus putavit, in divinis non esse aliquam rem, quae sit Pater, Filius et Spiritus Sanctus, sed tres personas divinas esse quidem unam substantiam, essentiam et naturam, non vere tamen, proprie et realiter, sed collective et similitudine, sicut multi homines dicuntur unus populus » (3). Hac Decretali igitur damnatur doctrina abbatis Joachim et s. Thomas hoc brevi opusculo hanc secundam Decretalem illustrat et declarat.

De authenticitate — opusculi nemo dubitat. — Cf. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 70. — Michelitsch, p. 179, n. 18. — Grabmann, p. 220.

Editiones: Piana T. XVII, 198. — Parmensis T. XVI, 307. — Vives T. XXVII, 434.

---

(1) Hoc est ad archidiaconum Tridentinum.

(2) Bibliographie, p. XVII n. 70

(3) A. Weiss, *Historia ecclesiastica*, T. II p. 131. — De *abbate Joachim* cfr. J. Hefele, *Conciliengeschichte*, B. V. Zweite Auflage, p. 880-881. Card. Fr. Ehrle, in « Kirchenlexikon », B. VI. Zweite Auflage, p. 1471-1480. E. Gebhardt, *L'Italie mystique*, 5. édit.; Paris 1906, p. 219 ss. P. Fournier, *Joachim de Flore, ses doctrines, son influence*, in « Revue des questions historiques », 67 (N. S., 23 [1900]), p. 458 ss.

## 22.

(In editione Piana XXV.)

### De sortibus ad dominum Jacobum de Burgo. (1)

Tempus compositionis. — Videtur scriptum opusculum fuisse iuxta Mandonnet (2) a. 1269-1272. — Quis fuerit dominus Jacobus, incompertum est.

Occasio et argumentum. — Dominus Jacobus a s. Thoma postulavit, ut sibi scriberet, quid de sortibus sit sentiendum.

Huic postulationi hoc opusculo s. Doctor satisfacit et statim a principio consilium suum aperit. « Petitioni vestrae », inquit, « satisfacere cupiens, intermissis paulisper occupationum mearum studiis, solemnium vacationum temporibus, quid mihi de sortibus videatur, scribendum curavi. De quibus locum sors habeat; — quis sit sortium finis; — quis modus; — quae earum virtus; — et utrum eis liceat uti secundum christianae religionis doctrinam ».

Authenticitas — opusculi a nullo in dubium vertitur. — Cf. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 52. — Michelitsch, p. 182, n. 37. — Grabmann, p. 220-221.

Editiones: Piana T. XVII, 199. — Parmensis T. XVI, 310. — Vivès T. XXVII, 439.

(1) Alii tituli: *De sortibus ad dominum Jacobum de Tolongo. — De sortibus ad dominum Jacobum de Bonoso.*

(2) Bibliographie, p. XV. n. 52.

## 23.

(In editione Piana XXVI.)

### De iudiciis astrorum ad Fratrem Reginaldum socium suum carissimum. (1)

Tempus compositionis — a P. Mandonnet (2) assignatur a. 1269-1272.

Occasio et argumentum opusculi. — Fr. Reginaldus petiit a s. Doctore, an liceret iudiciis astrorum uti. Huic petitioni s. Thomas respondet hoc opusculo brevissimo indicans ea, quae a sacris doctoribus super hoc traduntur. — Opusculum concludit his verbis: « Et ideo pro certo tenendum est, grave peccatum esse, circa ea, quae a voluntate hominis dependent, iudiciis astrorum uti ».

Authenticitatem opusculi omnes asserunt. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 51. — Michelitsch, p. 183, n. 38. — Grabmann, p. 221.

Editiones: Piana T. XVII, 202. — Parmesis T. XVI, 317. — Vivès T. XXVII, 449.

(1) *De Fr. Reginaldo* vide supra p. 22.
(2) Bibliographie, p. XV. n. 51.

## 24.

(In editione Piana XXVII.)

### De aeternitate mundi (1)

Compositum est opusculum — iuxta Mandonnet, (2) a. 1270

Argumentum. — Statum quaestionis s. Doctor statim a principio his verbis aperit: « Supposito secundum fidem catholicam mundum ab aeterno non fuisse, sicut quidam philosophi errantes posuerunt; sed quod mundus durationis initium habuerit, sicut Scriptura Sacra, quae falli non potest, testatur; dubitatio mota est, utrum potuerit semper fuisse. Cuius dubitationis ut veritas explicetur, primo distinguendum est, quid est, in quo cum dicentibus contrarium convenimus, et quid est illud, in quo ab illis differimus. Si enim intelligatur, quod aliquid praeter Deum potuerit semper fuisse, quasi possit esse aliquid aeternum praeter eum, ab eo non factum; error abominabilis est non solum in fide, sed etiam apud philosophos, qui confitentur et probant, quod omne quod est quoquomodo, esse non potuit, nisi causatum ab eo, qui maxime et verissime habet esse. Si autem intelligatur, aliquid semper fuisse et tamen causatum a Deo secundum totum quod in eo est, videndum est, utrum hoc possit stare ».

Authenticitas — ab omnibus admittitur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 17. — Michelitsch, p. 183, n. 39. — Grabmann, p. 221.

Editiones: Piana T. XVII, 202. — Parmensis T. XVI, 318. — Vivès T. XXVII, 450.

(1) Alius titulus: *De aeternitate mundi contra murmurantes.*
(2) Bibliographie, p. XIII. n. 17.

## 25.

(In editione Piana XXX.)

### De ente et essentia.

Tempus compositionis. — Ex Ptolomaeo de Lucca scimus, hunc tractatum s. Thomam composuisse, ante quam magister factus esset (1). P. Mandonnet (2) assignat a. 1256.

Divisio et argumentum. — Praemisso brevi prooemio, totum tractatum dividit in *septem capita*. In *primo capite* declarat, quid nomine entis et essentiae significetur. In *reliquis capitibus* explicat, quomodo essentia in diversis diverso modo invenitur ; nempe in substantiis compositis in capitibus II-IV; in substantiis separatis capitibus V-VI; in accidentibus capite VII.

Authenticitas — opusculi ab omnibus admittitur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 21. — Michelitsch, p. 183, n. 42, — Grabmann, p. 222.

Editiones: Piana T. IV. — Parmensis T. XVI, 330. — Vivès T. XXVII, 468.

---

(1) « Tractatus De ente et essentia, quem scripsit ad fratres socios nondum existens magister », — apud Mandonnet, o. c. p. 61.

(2) Bibliographie, p. XIII. n. 21.

## 26.

(In editione Piana XXXI.)

### De principiis naturae ad Fratrem Silvestrum. (1)

Tempus lucubrationis opusculi. — Mandonnet (2) assignat a. 1255.

Argumentum. — Tria principia naturae dicit, scilicet: materiam, formam et privationem. In explicatione horum principiorum tradit breviter doctrinam de causis.

Authenticitas – huius opusculi omnibus certa est. – Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 15. — Michelitsch, p. 183, n. 43. — Grabmann, p. 92, et p. 222.

Editiones: Piana T. XVII, 207. — Parmensis T. XVI, 338. — Vivès T. XXVII, 480.

(1) De *Fr. Silvestro*, ad quem opusculum dirigitur, nihil certe scimus.
(2) Bibliographie, p. XIII, n. 15.

## 27.

(In editione Piana XXXIII.)

### De mixtione elementorum ad magistrum Philippum. (1)

Composuit hoc opusculum s. Doctor iuxta Mandonnet (2) a. 1273.

Argumentum. — In hoc parvo opusculo s. Doctor solvit quaestionem, quomodo elementa maneant in mixto. Primo confutat quorundam falsas opiniones; dein proponit modum, « quo veritas salvetur mixtionis et elementa non totaliter corrumpantur, sed aliqualiter in mixto permaneant ». — Hoc opusculum ex integro invenitur insertum lectione XXIV, circa finem in primum librum Aristotelis *De generatione et corruptione*, (3) cuius operis commentaria, ut vidimus inde a lectione XVIII, primi libri non sunt s. Doctoris (4).

Authenticitas — opusculi ab omnibus asseritur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 16. — Michelitsch, p. 183, n. 45. — Grabmann, p. 222.

Editiones: Piana T. XVII, 212. Parmensis T. XVI, 353. — Vivés T. XXVII, 502.

(1) *Magister Philippus*, aequalis s. Thomae, quis fuerit, non liquet. Quidam eius patriam dicunt Castrumcoeli (prope Aquinum?); alii legendum potius putant Castrumcelsum, gallice Chautoceaux vel Chateauceaux. Cfr. De Rubeis, Dissert, XXIV, Cap. I, n. 4.
(2) Bibliographie, p. XIII, n. 16.
(3) Editio Leonina, T. XIII, Appendix, p. XX.
(4) Vide supra, pag. 19-20.

## 28.

(In editione Piana XXXIV.)

### De occultis operibus naturae ad quendam militem. (1)

Tempus lucubrationis — iuxta Mandonnet (2) cadit in a. 1269-1272.

Occasio et argumentum opusculi. — Utrumque statim a principio opusculi s. Doctor his verbis exprimit: « Quoniam in quibusdam naturalibus corporibus quaedam naturales actiones apparent, quarum principia maxime apprehendi non possunt, requisivit a me vestra dilectio, ut quid super his mihi videatur transcriberem »; — quod quidem brevi hoc opusculo lucide et breviter s. Thomas perficit.

Authenticitas — opusculi nullum dubium ingerit. Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 14. — Michelitsch, p. 183, n. 46. — Grabmann, p. 223.

Editiones: Piana T. XVII, 213. — Parmensis T. XVI, 355. — Vivès T. XXVII, 504.

(1) Quis fuerit iste miles, cui opellam s. Doctor nuncupavit, incompertum est. Quidam auctores contemporanei illum vocant « militem ultramontanum ». — Alii tituli: *De actionibus et operationibus occultis naturae. — De operationibus occultis ad quendam militem ultramontanum. — Tractatus de motibus naturalibus corporis seu de actionibus et operationibus occultis naturae.*

(2) Bibliographie, p. XIII, n. 14.

## 29.

(In editione Piana XXXV.)

### De motu cordis ad magistrum Philippum. (1)

Tempus compositionis — Mandonnet (2) assignat a. 1273.

Argumentum opusculi in ipso titulo indicatur; ideo et hoc modo illud incipit: « Quia omne quod movetur, necesse est

habere motorem, dubitabile videtur, quid moveat cor et qualis sit eius motus ». Reiectis aliis suppositionibus, dicit motum cordis maxime naturalem esse et explicat, quo sensu naturalis dici debeat.

Authenticitas — omnibus certa est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 18. — Michelitsch, p. 183, n. 47. — Grabmann, p. 223.

Editiones: Piana T. XVII, 214. — Parmensis T. XVI, 358. Vivès T. XXVII, 508.

(1) De Magistro Philippo vide supra p. 96.
(2) Bibliographie, p. XIII, n. 18.

## 30.

(In editione Piana LVII.)

### Officium de festo Corporis Christi

Tempus lucubrationis. — Composuit illud s. Doctor ad mandatum Urbani IV, a. 1264. (1)

Continet: totum officium tum nocturnum, tum diurnum illius festi, scilicet: antiphonas, capitula, responsoria, versiculos, lectiones, orationem, hymnos: *Pange lingua, Sacris solemniis, Verbum supernum.* Item ad missam: introitum, orationes etc. necnon sequentiam *Lauda Sion.*

Authenticitas. — Praeterito tempore quidam dubium moverunt circa totalem aut partialem authenticitatem huius opusculi; (2) at nunc certe demonstratum est, totum opusculum esse genuinum foetum s. Thomae. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 108, n. 75 et pp. 127-129. — Michelitsch, p. 186, n. 72. — Grabmann, p. 232-233.

Editiones: Piana T. XVII, 40 bis. — Parmensis T. XV, 233. — Vivès T. XXIX, 335.

(1) Bibliographie, p. XVII, n. 75.
(2) Vide De Rubeis, Dissert. XXI. Cap. I-IV.

## 31.

(In editione Piana LXVII.)

### De emptione et venditione ad tempus

Tempus lucubrationis. — P. Mandonnet (1) assignat a. 1263

Argumentum. — Fr. Jacobus Viterbiensis, O. P. qui tunc temporis lectorem agebat Florentiae, (2) quatuor casus conscientiae, qui usuram respiciebant circa dilationem solutionis pretii vel anticipationis eiusdem, s. Doctori ad solvendum proposuerat. S. Thomas in forma epistolae ad istos quatuor casus breviter respondet. Opusculum hoc modo incipit: « Carissimo in Christo Fratri: Jacobo Viterbiensi, lectori Florentiae, Frater Thomas de Aquino salutem. Recepi litteras vestras... ».

Authenticitas — huius opusculi ab omnibus admittitur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 54 et pp. 116-120. — Michelitsch, p. 184, n. 57. — Grobmann, p. 227-228.

Editiones: Piana T. XVII, 110 bis. — Parmensis T. XVII, 337. — Vivès T. XXVIII, 465.

(1) Bibliographie, p. XV, n. 54.

(2) De *Fr. Jacobo Viterbiensi O. P.* necnon de archiepiscopo electo Capuano et de *Fr. Hugone de S. Caro* Cardinali, O. P. quorum fit mentio statim a principio in hoc opusculo, vide Mandonnet, o. c. p. 117-119.

## 32.

(In editione Piana LXIX.)

### Expositio in librum Boethii de Hebdomadibus.

Tempus compositionis huius opusculi iuxta Mandonnet (1) cadit circa a. 1257-1258.

Titulus et argumentum. — Boethius (+ 524–526) inter opuscula sacra composuit etiam illud, cui titulus: *Quomodo*

*substantiae in eo quod sint, bonae sint, cum non sint substantialia bona* (2). Hoc opusculum vocatur etiam « *Liber de hebdomadibus* ». (3) — A Boethio Joannes, diaconus Ecclesiae Romanae, postulaverat, ut dissereret et exponeret, quandam difficilem questionem, scilicet: « Quomodo substantiae in eo, quod sint, bonae sint, cum non sint substantialia bona ». In hoc ergo opere Boethius respondet huic subtili, difficillimae quaestioni, et Doctor Angelicus doctrinam Boethii explicat et illustrat in hoc opuscolo. Primo praemittit breve prooemium, in quo illa verba Eccles. 32, 15: *Praecurre prior in domum tuam et illuc advocare et illic lude et age conceptiones tuas*, explicat; dein opusculum Beothii quinque lectionibus illustrat.

Authenticitas huius opusculi nulli in dubium cadit. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 104, n. 22. — Michelitsch, p. 178, n. 15. — Grabmann, p. 228.

Editiones: Piana T. XVII, 111 — Parmensis T. XVII, 339. — Vivés T. XXVIII, 468.

---

(1) Bibliographie, p. XIII, n. 22.

(2) In Migne, Patrologia Latina, 64, col. 1311 talis titulus habetur: « *Quomodo substantiae in eo quod sint, bonae sint, cum non sint substantialia bona; liber ad Joannem, diaconum Ecclesiae Romanae* ».

(3) Cfr. M. Grabmann. *Die Geschichte der scholastischen Methode.* I. B. Freiburg in B. 1909, p. 173.

## 33.

(In editione Piana LXX.)

### Expositio super librum Boethii de Trinitate.

Tempus compositionis iuxta P. Mandonnet (1) assignandus est a. 1257-1258.

Argumentum et divisio. — Opusculum Boethii: *liber de Trinitate*, vel etiam: *liber, quomodo Trinitas unus Deus ac non tres Dei*, (2) pertractat modo speculativo quaestionem de unitate divinae naturae et de trinitate divinarum personarum. Boethius

primo prooemium praemittit, dein de praedicta materia in sex capitibus tractat. S. Thomas in explicando hoc opere Boethii primo ponit prologum, in quo verba Sap. 6. 24: *Ab initio nativitatis investigabo et ponam in lucem scientiam illius*, explicat; deinde intepretatur prooemium Boethii duabus questionibus, quae in articulos subdividuntur; postea primum caput illustrat una lectione, quae in duas quaestiones subdividitur. Explicato primo capite, pergit ad illustrandum secundum caput duabus aliis quaestionibus; sed explicationem secundi capitis non complevit, neque ulterius suam explicationem prosecutus est. Sic ergo hoc opus s. Thomae inter eius *opera incompleta* adnumerandum est.

Authenticitas omnibus certa est. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 49. — Michelitsch, p. 178, n. 16. — Grabmann, p. 228.

Editiones: Piana T. XVII, 114 bis. — Parmensis T. XVII, 349. — Vivès T. XXVIII, 482.

---

(1) Bibliographie, p. XV. n. 49.
(2) Migne, P. L. 64, col. 1247.

## 34.

(In editione Piana non numeratur inter opuscula.)

### Expositio in Dionysium de divinis nominibus.

Tempus lucubrationis. — Mandonnet (1) assignat a. 1261.

Argumentum. — Opus *De divinis nominibus*, quod toto Medio Aevo s. Dionysio Areopogitae tribuebatur, (2) divisum est in tredecim capita. In ipso agitur de divina essentia, de divinis nominibus et attributis iuxta ea, quae de his rebus in s. Scripturis traduntur. — S. Thomas autem illustrando hoc opus suis commentariis ante omnia scribit prologum, in quo in genere loquitur de aliis libris s. Dionysii et de difficultatibus occurrentibus; dein unumquodque caput diversis lectionibus commentatur.

Authenticitas — a nemine in dubium vertitur. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 106, n. 48. — Michelitsch, p. 178, n. 14. — Grabmann, p. 228–232.

Editiones: Piana T. X. — Parmensis T. XV, 259. — Vivés T. XXIX. 374.

---

(1) Bibliographie, p. XV. n. 48.

(2) Circa auctorem et tempus compositionis operis: *De divinis nominibus* nec non *De mystica theologia; De coelesti hierarchia; De ecclesiastica hierarchia* et *Epistolarum*, quae toto Medio Aevo *s. Dionysio Areopogitae* tribuebantur, vide Bardenhewer, *Patrologie*, Dritte Auflage, p. 462-467; U. Mannucci *Istituzioni di Patrologia*, P. II. Edizione seconda, p. 283-291; P. Godet, in « Dictionnaire de théologie catholique, » T. IV. P. I, col. 429 sq. — Editio graeca cum nova versione latina B. Corderii S. J. operum S. Dionysii Arecpagitae habetur apud Migne P. G. vol. 3-4.

## 35.

(In editione Piana non habetur.)

### De secreto.

Occasio et tempus compositionis. — Compositum fuit hoc opusculum a. 1269, dum Capitulum Generale Ord. Praed. Parisiis habebatur. In illo Capitulo quaedam quaestiones, quae respiciebant directionem Superiorum respectu subditorum, propositae sunt, ad quas solvendas electi fuerunt quidam Magistri, inter quos etiam s. Thomas erat. (1)

Argumentum. — Sunt sex casus conscientiae, in quibus agitur, an Superior possit cogere subditum in quibusdam casibus ad revelenda quaedam secreta, et an subditus tunc ad revelationem teneatur. Ad istos sex casus habetur responsio magistrorum.

Authenticitas. — ab omnibus admittitur; at non nisi in lato sensu hoc opusculum tribui potest s. Doctori, in quantum nempe fuit membrum praedictae commissionis. In responsione autem data s. Doctor duabus vicibus non concordat cum aliis, ideo

dicitur ibi: *In hac sententia, (in hoc) non concordant alii magistri eum Fratre Thoma.* — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 139 seq. — Michelitsch, p. 187, n. 88. — Grabmann, p. 237-238.

Editiones: Parmensis T. XXIV, 235. — Vivés T. XXXII, 816.

(1) Cfr. Quétif-Echard, o. c. T. p. 280 et p. 342. — P. Mortier, *Histoire des Maîtres généraux de l'ordre des Frères Prêcheurs*, T. II. p. 120 seq.

36.

Sermones.

Tempus compositionis. — S. Thomas dum Parisiis degeret

et ita pariter dum in Italia esset, saepius ad populum sermones habuit, hoc enim divesi auctores testantur. (1)

Argumentum. — Sermones isti diversi argumenti sunt. *Sermones dominicales* generaliter argumentum desumunt ex epistola vel evangelio dominicae respondentis. *Sermones festivi* agunt de festis D. N. Jesu Christi, B. V. Mariae et aliorum Sanctorum.

Authenticitas. — S. Doctorem diversos sermones et collationes composuisse extra omne dubium est. At valde difficile est determinare cum certitudine, quinam ex illis sermonibus, qui adhuc supersunt sive manuscripti, sive typis editi, s. Doctori tribuendi sint. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 107, n. 71. — Michelitsch, p. 187, n. 82-85. — Grabmann, p. 241-251.

Editiones: Piana T. XVI. — Parmensis T. XV, 126, XXIV, 220. — Vivés T. XXIX. 191. XXXII. 663.

(1) De Rubeis. Dissert, XX. Cap. V. n. 4.

37.

Duo principia.

*Principium* vocabatur sermo, quo novus baccalaureus vel magister Theologiae suas lectiones auspicabatur. — Ultimo hoc

tempore duo *Principia* s. Thomae detecta sunt, quae ideo in editionibus praecedentibus non inveniuntur.

Primum Principium incipit: *Hic est liber mandatorum Dei...* Hunc sermonem s. Thomas habuit a. 1252 Parisiis iuxta P. Mandonnet (1)

Secundum Principium incipit: *Rigans montes de superioribus suis...* Habitus est hic sermo a s. Doctore iuxta eundem P. Mandonnet a. 1256. (2)

Editio – G. Salvatore, *Due sermoni inediti di S. Tommaso d'Aquino*, Roma 1912. — Secundum *Principium* edidit etiam J. J. Berthier O. P. in opere *S. Thomas Aquinas* « *Doctor communis* » *Ecclesiae* T. I. Romae 1914, p. 11–14.

(1) Mandonnet, Bibliographie, p. XVII-XVIII.
(2) Mandonnet, l. c.

38.

Piae preces.

Plures codices manuscripti saeculi XV. imo quidam saeculi XIV., sicut et libri typis editi continent diversas preces, quae s. Thomae tamquam auctori tribuuntur.

De authenticitate singularum precum viri eruditi discrepant, consequenter de quibusdam adhuc lis sub iudice est. Quaedam *ut authenticae* considerandae sunt; quarumdam autem authenticitas adhuc *dubia* remanet. — Cfr. Mandonnet, Bibliographie, p. XVIII. — Michelitsch, p. 187, n. 86, et p. 188, n. 92-97. — Grabmann, p. 233-236.

P. A. Uccelli, assiduus indagator operum s. Thomae, preces, quae ut *authenticae* s. Thomae habendae sint, in unum collegit et edidit in opere, cui titulus: *Orazioni e detti di San Tommaso d'Aquino.* Napoli, 1868. (Dalla Raccolta « La Scienza e la Fede.»

Serie III. Vol I. Fascic. di marzo 1868). — En elenchus precum:

1. Incipit: *Ad te fontem misericordiae, Deus, accedo peccator.* — Titulus impressus: « Oratio devota pro peccatorum remissione ».
2. Incipit: *O Deus omnipotens, omnia sciens, principio et fine carens.* — Titulus impressus: « Oratio dicenda pro obtinendis virtutibus ».
3. Incipit: *Te Deum totius consolationis invoco, qui nihil in nobis praeter tua dona cernis...* — Titulus impressus: « Oratio pro contemplativis quam ipse intime contemplans dicebat ».
4. Incipit: *Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere...* — Titulus impressus: « Oratio solita recitari singulo die ante imaginem Christi. »
5. Incipit: *Laudo, glorifico, benedico te, Deus meus...* — Titulus impressus: « Oratio de gratiarum actione. »
6. Incipit: *Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui...* — Titulus impressus: « Oratio dicenda ante comunionem. »
7. Incipit: *Gratias tibi ago, Domine sancte Pater, omnipotens aeterne Deus...* — Titulus impressus: « Oratio post comunionem. »
8. Incipit: *Adoro te devote, latens Deitas...* — Titulus impressus: « Oratio post Corporis et Calicis elevationem. »
9. Incipit: *Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres Angelorum hierarchias designasti...* — Titulus impressus: « Oratio quam frequenter dicebat, antequam dictaret, scriberet aut praedicaret. »
10. Incipit: *O beatissima et dulcissima Virgo Maria, Mater Dei...* — Titulus impressus: « Oratio ad B. V. Mariam ab omni religioso dicenda. »
11. *Elogium S. Petri Martyris* a s. Thoma compositum. Incipit: *Praeco lucerna, pugil Christi, populi Fideique...*

---

Nota. Inveniuntur istae preces etiam in editione Parmensi T. XXIV, 241. — Vivès T. XXXII, 819. — Cfr. etiam Th. Esser O. P., D. *Thomae Aquinat. Doctoris Angel. et schol cathol. Patroni Monita et preces.* Paderbornae, 1880.

## *B.*

## OPUSCULA DE QUORUM AUTHENTICITATE CONTROVERTITUR

### 1.

(In editione Piana IX.)

### Responsio ad Fr. Joannem Vercellensem, Generalem Magistrum Ordinis Praedicatorum, de articulis CVIII sumptis ex opere Petri de Tarantasia.

Tempus compositionis. — P. Mandonnet (1) assignat a. 1265–1266.

Argumentum. — Anonymus quidam opus Fr. Petri de Tarantasia (2): *Commentarii in ll. IV sententiarum* severo iudicio subiecerat et CVIII propositiones ex illo extractas tamquam erroneas declaraverat. — Fr. Joannes Vercellensis, Generalis Magister Ord. Praed. (3) illas propositiones, quae praesertim respiciebant doctrinam de divinis attributis, mysterium Trinitatis etc. ad s. Doctorem remisit, ut de illis suum iudicium ferret. — In hoc ergo opusculo s. Thomas unamquamque propositionem ad examen breviter revocat et de illa censuram profert.

Authenticitas. — Mandonnet opusculum hoc ut *authenticum* agnoscit; cfr. o. c. p. 107, n. 59 et p. 123-127; ita pariter et Michelitsch, o. c. p. 105. — Grabmann vero opusculum hoc inter *dubia* numerat, quamvis dicat, valde probabile esse, illud a s. Doctore compositum fuisse; o. c. p. 251-254.

Editiones: Piana T. XVII, 76. — Parmensis T. XVI, 152. — Vivès T. XXVII, 230.

---

(1) Bibliographie, p. XVI n. 59.

(2) *Fr. Petrus de Tarantasia O. P.* Magister Theol. in universitate Parisiensi, dein antistes ecclesiae Lugdunensis, cardinalis S. R. E. et a. 1276 in

Summum Pontificem electus, nomen sibi assumpsit Innocentis V. Obiit eodem anno. Diversa opera scripsit. Commentarii in IV libros sententiarum impressi fuerunt Tolosae a. 1652. — De illo cfr. Quétif-Echard, o. c. I. 350 sq: — *Vie du B. Innocent V. par un Religieux du même Ordre.* Rome 1896. — Carboni-Laureti, *De Innocentio V. Rom. Pontif. dissertatio.* Romae 1894.

(3) De *B. Joanne Vercellensi* vide supra p. 79, n. 2.

2.

(In editione Piana XIII.)

De differentia verbi divini et humani (1)

Tempus compositionis. — ?

Argumentum. — Exposita natura verbi humani seu verbi, quod noster intellectus format, assignat tres differentias inter verbum humanum et Verbum Dei, de quo s. Joannes Evangelista loquitur.

Authenticitas. — Grabmann, p. 215. — Michelitsch, p. 185, n. 66 et alii opusculum *authenticum* proclamant. — P. Mandonnet illud *apocryphis* adnumerat, o. c. p. 108, n. 94 et p. 150

Editiones: Piana T. XVII, 84. — Parmensis T. XVII, 177. — Vivès T. XXVII, 266.

(1) Alius titulus: *De verbo.*

3.

(In editione Piana XIV.)

De natura verbi intellectus.

Tempus compositionis. — ?

Argumentum. — Scopum et argumentum huius opusculi s. Thomas statim in principio dicit: « Quoniam circa naturam verbi intellectus, sine quo imago Trinitatis non invenitur in homine expressa, multiplex difficultas et prolixitas nimia animum

involvit, ideo summatim eius naturam tradere intendimus, insuper et difficultates ipsum tangentes simul manifestare ».

Authenticitas — opusculi controvertitur: Grabmann stat pro *authenticitate,* o. c. p. 215; item Michelitsch p. 182, n. 33. — Mandonnet ponit illud inter *apocrypha,* o. c. p. 108, n. 93.

Editiones: Piana T. XVII, 84. — Parmensis T. XVI, 179. — Vivès T. XXVII, 268.

4.

(In editione Piana XXVIII.)

De fato.

Tempus lucubrationis. — ?

Argumentum. — In hoc opusculo, quod divisum est in quinque articulos, de fato quaeritur: An sit; quid sit; utrum necessitatem importet rebus; an scibile sit; in quo genere causae incidat.

Authenticitas — controvertitur. Mandonnet o. c. p. 109, n. 103 et p. 151 adnumerat *apocryphis.* — Grabmann, p. 257-258 illud recenset inter *dubia.* — Michelitsch, p. 183, n. 40 dicit *authenticum.*

Editiones: Piana T. XVII, 203. — Parmensis T. XVI, 321. — Vivès T. XXVII, 454.

5.

(In editione Piana XXIX.)

De principio individuationis.

Tempus compositionis. — ?

Argumentum. — Parvae molis est hoc opusculum, et ut ex ipso titulo patet, argumentum est philosophicum. In illo investigatur et demonstratur materiam esse principium individuationis et quidem « materiam sub quantitate determinatam ».

De authenticitate — huius opusculi controvertitur. P. Mandonnet illud ponit inter *apocrypha*, o. c. p. 109, n. 104 et p. 151. Grabmann rationibus non spernendis illi *authenticitatem* vindicat p. 187, et p. 221. Similiter Michelitsch, p. 183, n. 41.

Editiones: Piana T. XVII, 206. — Parmensis T. XVI, 328. — Vivès T. XXVII, 465.

6.

(In editione Piana XXXII.)

De natura materiae et dimensionibus interminatis.

Tempus elucubrationis. — ?

Argumentum. — Opusculum hoc potest considerari tamquam ulterior explicatio doctrinae, quam tradit in opusculo *De principiis naturae ad Fr. Silvestrum* unde incipit: « Postquam de principiis sermo habitus est, remansit plenius naturam materiae considerare ». In novem capitibus agit de causa materiali, de materia prima et de problematibus ad haec pertinentibus.

Authenticitas — opusculi controvertitur. Mandonnet, o. c. p. 108, n. 95, et p. 150 ponit inter *apocrypha*. Grabmann eius *authenticitatem* validis argumentis defendit o. c. p. 92-93 et p. 222. Michelitsch etiam authenticum iudicat, p. 183, n. 44.

Editiones: Piana T. XVII, 209. — Parmensis T. XVI, 343. — Vivès T. XXVII, 487.

7.

(In editione Piana XXXVI.)

De instantibus.

Tempus compositionis. — ?

Argumentum. — Opusculum habet *quinque capita*. Primo capite explicat naturam temporis (I); deinde probat, qualiter in toto tempore *instans* sit idem re differens ratione, et *nunc* aevi et

*nunc* temporis non esse idem (II-III). Postea explicat mensuram operationum Angelorum (IV); tandem exponit, quid sit subiectum aevi (V).

Authenticitas — controvertitur. Grabmann, o. p. c. 187 et 223 adnumerat illud inter *authentica;* item Michelitsch, p. 183. n. 48. Mandonnet ponit illud inter *apocrypha*, o. c. p. 108, n. 100,

Editiones: Piana T. XVII, 215. — Parmensis T. XVI, 36 l. — Vivès T. XXVII, 512.

8.

(In editione Piana XXXVII.)

De quatuor oppositis.

Tempus compositionis. — ?

Argumentum. — S. Doctor hoc modo statim a principio exprimit argumentum huius opusculi: « Quoniam quatuor sunt oppositiones, ut dicitur in Praedicamentis, ideo de eis breviter agere intendimus ». — Dividitur in *quinque capita* et tractat: de contradictione, de oppositione privativa et contraria necne de oppositione relativa.

Authenticitas — controvertitur. Grabmann illud *authenticum* iudicat, o. c. p. 186 et p. 223; pariter Michelitsch, p. 184, n. 49. — Mandonnet e contrario illud inter *apocrypha* recenset, o. c. p. 108, n. 83.

Editiones: Piana T. XVII, 217. — Parmensis T. XVI, 367. — Vivès T. XXVII, 520.

9.

(In editione Piana XXXVIII.)

De Demonstratione.

Tempus compositionis. — ?

Argumentum. — Breve hoc opusculum agit de natura demonstrationis, et primo quidem explicat, in quo consistat de-

monstratio potissima; postea quid sit demonstratio non potissima.

Authenticitas — controvertitur. Grabmann o. c. p. 186 et p. 223 sicut et Michelitsch p. 184, n. 50 opusculum *authenticum* asserunt. Non ita Mandonnet, qui illud inter *apocrypha* recenset o. c. p. 108, n. 86 et p. 149.

Editiones: Piana T. XVII, 220. — Parmensis T. XVI, 375. — Vivès T. XXVII, 531.

## 10.

(In editione Piana XXXIX.)

### De falaciis ad quosdam nobiles artistas.

Tempus elucubrationis videtur ponendum an. 1268-1272. (1)

Argumentum. — En quo modo scopum opusculi auctor in introductione exponit: « Sed cum aliquis secum considerans ratiocinatur non recte, praeter intentionem hoc accidit; quia nullus sui ipsius deceptionem intendit. Cum autem ad alium ratiocinatur non recte, contingit quandoque ex intentione ratiocinantis, cum scilicet aliquod de altero intendit vel experimentum sumere, vel victoriam habere ad sui gloriam. Ratiocinatio autem, quae ad seipsum est, syllogismus dici potest, sive aliqua alia species argumentationis. Sed ratiocinatio, quae est ad alterum, non solum est syllogismus vel argumentatio, sed disputatio; vertitur enim inter duos, scilicet inter opponentem et respondentem; et ideo de falsis ratiocinationibus tractaturi, primo de disputatione incipiendum est. » — Loquitur ergo de disputatione in genere et in specie; postea de diversis fallaciis, quae accidere possunt tum in dictione, tum extra dictionem. — Opusculum dividitur in XVI capita.

Authenticitas — controvertitur. Mandonnet hoc opusculum adnumerat inter *apocrypha* o. c. p. 108, n. 88. Alii eius *authen-*

*ticitatem* defendunt. Cfr. Michelitsch, p. 184, n. 51. — Grabmann, p. 174 et p. 223.

Editiones: Piana T. XVII, 213. — Parmensis T. XVI, 377. — Vivès T. XXVII, 533.

(1) Cfr. Grabmann, o. c. p. 175; Michelitsch econtrario ponit annum 1244 tamquam primum opus s. Thomae; o. c. p. 52.

11.

(In editione Piana XL.)

De propositionibus modalibus.

Tempus compositionis. — ?

Argumentum. — Primum exponit, quid sit modus; postea loquitur de diversis propositionibus modalibus et de earum comparationibus ad invicem.

Authenticitas — controvertitur. Mandonnet *negat* opusculum esse genuinum foetum s. Thomae, o. c. p. 108, n. 84. Alii *affirmant*: Grabmann o. c. p. 186 et p. 223. Michelitsch p. 184, n. 52.

Editiones: Piana T. XVII, 226. — Parmensis T. XVI, 388. — Vivès T. XXVII, 549.

12.

(In editione Piana XLI.)

De natura accidentis.

Tempus compositionis. — ?

Argumentum. — « Quoniam omnis cognitio humana a sensu incipit, sensus autem propria obiecta sunt accidentia, ideo et accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est, ut dicitur I. de Anima. De accidente igitur et eius ori-

gine aliquid breviter dicemus, quo facilius intellectus in quidditatem rei ducatur, » — his verbis auctor incipit hoc opusculum et simul suam intentionem aperit. — Duobus capitibus agit de accidente: primo de accidente prout naturaliter sumitur, h. e. prout contra substantiam dividitur, dein de accidente prout sumitur logice, h. e. prout dicitur unum de quinque universalibus.

Authenticitas — controvertitur. Mandonnet *negat* authenticitatem opusculi, o. c. p. 108, n. 90. — Alii *asserunt*. Grabmann, o. c. p. 187 et p. 224; Michelitsch p. 184, n. 53.

Editiones: Piana T. XVII, 1.$^{b\,is}$ — Parmensis T. XVII, 5. — Vivès T. XXVIII, 1.

## 13.

(In editione Piana XLII.)

### De natura generis

Tempus lucubrationis. — ?

Argumentum. — Totum opusculum divisum est in XXII capita. Hoc modo autem auctor exorditur: « Quoniam omnis creatura generis limitibus continetur, ne circa naturas rerum aliquis error causetur, de genere et difficultatibus ipsum contingentibus aliquid, quo facilius scientiarum a se invicem diversarum ortus, processusque discerni possit, dicere intendimus, initium sumentes ab illo, ad quod intellectum omnem incipere et resolvere necesse est. Hoc autem dicimus ens... » Sic ergo ad naturam generis explicandam auctor incipit loqui de natura entis et aliorum transcendentium et postea descendit ad singula genera.

Authenticitas. — Quidam *negant* authenticitatem huius opusculi; sic Mandonnet o. c. p. 108, n. 92 et p. 150. — Grabmann o. c. p. 224–227 *asserit* eius authenticitatem; item Michelitsch p. 184, n. 54.

Editiones: Piana T. XVII, 1.$^{bis}$ — Parmensis T. XVII, 8. — Vivès T. XXVIII, 5.

## 14.

(In editione Piana LXVIII.)

EPISTOLA EXHORTATORIA AD QUEMDAM, IN QUA PROPONIT IDONEUM MODUM SALUBRITER ACQUIRENDI SCIENTIAM SIVE HUMANAM SIVE DIVINAM. (1)

TEMPUS COMPOSITIONIS. — ?

CONTINET — responsionem ad quemdam Joannem, qui a s. Doctore petierat, quomodo illum studere oporteret, ut profectum de suis studiis caperet.

AUTHENTICITAS. — Quibusdam dubia est; Grabmann o. c. p. 236-237 et Mandonnet, Bibliographie p. XVIII. *inclinant* pro authenticitate.

EDITIONES: Piana T. XVII, 111.[bis] — Parmensis T. XVII, 338 — Vivès T. XXVIII, 467.

(1) Alius titulus: *De modo acquirendi scientiam.*

## 15.

(In editione Piana XLV.)

DE PLURALITATE FORMARUM. (1)

TEMPUS ELUCUBRATIONIS. — ?

ARGUMENTUM. — In hoc opusculo demonstratur, « quod impossibile est in uno individuo esse duas formas substantiales. » — Hoc autem tribus viis demonstrare intendit; unde statim a principio hoc modo auctor scribit: « Ostenditur autem propositum tribus viis ad praesens. Prima sumitur ex distinctione formarum a se invicem. Secunda ex ratione entitatis. Tertia ex ratione unitatis. » — In opusculo duae primae viae evolvuntur; tertia autem via silentio premitur; unde hoc opusculum *infectum* remansit.

Authenticitas — huius opusculi iam a longo tempore a multis in dubium vocatur. Inter modernos authenticitatem *negant* Mandonnet, o. c. p. 108, n. 96; — Grabmann, o. c. p. 110 sq. — Econtrario authenticitatem opusculi *propugnat:* Michelitsch, o. c. p. 194. — P. A. Uccelli invenit tertiam partem huius opusculi, et eam edidit sub titulo: *Parte terza inedita: De pluralitate formarum di San Tommaso d'Aquino.* In: « La scienza e la fede. » 102 (1876) 110 sq, 177 sq, 602 sq. Ipse pariter defendit authenticitatem huius opusculi.

Editiones: Piana T. XVII, 11.[bis] — Parmensis T. XVII, 41. — Vivès T. XXVIII, 50.

(1) Alii tituli: *De unitate formae. De gradibus formarum.*

16.

De sensu communi et de sensibus quinque interioribus.

Notandum. — Hoc opusculum non est confundendum cum opusculo *De potentiis animae* (op. XLIII. edit. Pianae), de quo postea. — Hoc in opusculo duo tractatus simul inveniuntur, qui ratione similitudinis materiae tractatae in codicibus manuscriptis ut unum opusculum simul coniunguntur. Opusculum hoc *incipit:* « Quaeritur de sensu communi et primo quaeritur, quae sit necessitas ponendi sensum communem. » *Desinit:* « quia horum fantasmata movent maxime. Et sic patet de quinque viribus apprehensivis sensitivis. »

Authenticitas — huius opusculi est dubia. — Quétif-Echard, *Scriptores Ord. Praed.* I. p. 339. iudicium de authenticitate huius opusculi *non ferunt;* Grabmann vero, o. c. p. 254 sq. ponit illud inter *dubia.*

Editio. — Inter opuscula impressa s. Thomae non invenitur in editionibus supradictis.

## 17.

(In editione Piana LXXII.)

### De concordantiis in quo concordat seipsum in passibus apparenter contrariis. (1)

Scopus huius opusculi — habetur in prooemio eiusdem. Ibi inter alia dicitur: «... Duae namque offensae in scripturis hominum inveniuntur. Error scilicet contra ipsam veritatem, sicut in doctrinis haereticorum contra fidem invenitur... Est et alia offensa in scripturis et quidem satis frequens: difficultas scilicet deveniendi in mentem auctoris, quod dicitur esse intentum a quolibet studioso. Pauci enim vel nulli aliquid scripserunt, qui ab hoc immunes sint; quia secundum Augustinum, 5 de Trinitate, nunquam fuit aliquis, qui in omnibus ab omnibus intelligeretur. Sperantes igitur cum Dei adiutorio in operibus nostris primam offensam evasisse, alteram, quantum possibile est, vitare desideramus. Unde quae in diversis locis posita sunt eadem dumtaxat quae occurrerunt nobis, debet huiusmodi cogitationibus (alia lectio: *ea dumtaxat, quae occurrerunt nobis de hoc cogitantibus)* quae inter se aliquibus videntur dissona, quibus mens nostra non satis est nota, sic concordare intendimus, ut quomodo unumquodque in suo loco accipi debeat, sine difficultate sciri possit. »

Authenticitas. — Quasi omnes antiqui et moderni hoc opusculum adnumerant inter opuscula *apocrypha* s. Thomae. Sic Quétif-Echard, *Scriptores Ord. Praed.* I. p. 342; De Rubeis, Dissert. XXIX. Cap. II. n. 3; Mandonnet, o. c. p. 110 n. 144, et p. 156; Grabmann, o. c. p. 58; — tamen Fr. Pelster S. J. defendit eius *authenticitatem* in articulo: *De concordantia dictorum Thomae. Ein echtes Werk aus den letzten Lebensjahren des hl. Thomas von Aquino* in « Gregorianum » IV. (1223), 72 sq. (2)

Tempus lucubrationis. — Fr. Pelster putat probabiliter ponendum esse annis 1272-1274. Cfr. l. c. p. 94.

Editiones: Piana T. XVII, 137.bis — Parmensis T. XVII, 404. — Vivès T. XXVIII, 560.

(1) Alii tituli: *De concordantia in seipsum. — Concordantia dictorum suorum (Thomae).*

(2) Quidam auctores antiqui putabant auctorem huius opusculi fuisse *Fr. Benedictum de Assignano* O. P.; cfr. De Rubeis, l. c. et Quétif-Echard l. c. p. 595, quamvis hic ultimus dubitet. P. Mandonnet tamen in artic. *Premiers travaux de polémique thomiste*, 2.e partie in « Revue de sciences philosophiques et théologiques » VII (1913) p. 254, et Card. Fr. Ehrle, *Thomas de Sutton, sein Leben, seine Quodlibet und seine Quaestiones disputatae...* p. 431, et Grabmann l. c. p. 58, tribuunt hoc opusculum *Fr. Thomae de Suthona* O. P. De ipso vide supra pag. 20, n 4.

## 18.

### Responsio ad Bernardum, abbatem Casinensem.

Tempus lucubrationis — Mandonnet (1) ponit mensem Januarii a. 1274.

Argumentum. — Bernardus Ayglierus, abbas Casinensis, (2) quaesivit solutionem cuiusdam difficultatis theologicae, quae exsurgebat ex quodam loco librorum Moralium s. Gregorii Magni, respiciebatque conversionem peccatorum et praescientiam divinam. Huic difficultati auctor occurrit hac sua epistola.

Authenticitas — non omnibus probatur. Epistola antiquis omnibus ignota est. Tamen Mandonnet, o. c. p. 107, n. 62 et p. 120-123; et Grabmann, o. c. p. 238-240 eius authenticitatem *affirmant;* Michelitsch p. 188, n. 99 eam inter opera *dubia* ponit. (3)

Editiones. — In antiquioribus editionibus non habetur, quia vix saeculo praeterito detecta est. — Habetur in editione Vivès T. XXXII, 834.

(1) Bibliographie, p. XVI. n. 62.

(2) De Bernardo Ayglierio cfr. Mandonnet o. c. p. 121, nota 1.

(3) Fran. Scandone asserit illam apocrypham esse; cfr. *La vita, la famiglia e la patria di S. Tommaso* in: « S. Tommaso d'Aquino O. P. Miscellanea storico-artistica » p. 31-32.

## C.

## OPUSCULA APOCRYPHA

1. De potentiis animae. — (In editione Piana opusc. XLIII). — Cfr. Quétif-Echard, Scriptor. O. P. I. p. 339. — De Rubeis, Dissert. XXIV C. II. n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 112 et p. 152. — Grabmann, o. c. p. 167. — Editiones: Piana T. XVII, 7.bis — Parmensis T. XVII, 27. — Vivès T. XXVIII, 31.

2. De tempore. — (In editione Piana opusc. XLIV). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 339. — De Rubeis, Dissert. XXIV. C. II. n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 108, n. 99 et p. 151. — Grabmann, o. c. p. 172 — Editiones: Piana T. XVII, 9. bis. — Parmensis T. XVII, 35. — Vivès T. XXVIII, 42.

3. De natura syllogismorum. — (In editione Piana opusc. XLVII). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 339. — De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 108, n. 85. — Grabmann, o. c. p. 172. — Editiones: Piana T. XVII, 13. bis — Parmensis T. XVII, 50. — Vivès T. XXVIII, 63.

4. Summa totius logicae Aristotelis, seu de praedicabilibus, de praedicamentis, de enuntiatione, de syllogismis et de demonstratione. — (In editione Piana opusc. XLVIII). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 340. — De Rubeis, Dissert. XXIV. C. II. n. 3. — Mandonnet, o. c. p. 108, n. 81 et p. 149. — Grabmann, o. c. p. 168 sq. — Editiones: Piana T. XVII, 14. v. bis — Parmensis T. XVII, 54. — Vivès T. XXVIII, 68.

5. De sensu respectu singularium et intellectu respectu universalium. — (In editione Piana opusc. XLIX). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 340. — De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 4. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 110 et p. 152. Editiones: Piana T. XVII, 35. v. bis — Parmensis T. XVII, 118. — Vivès T. XXVIII, 159.

6. De inventione medii. — (In editione Piana opusc. L). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 340. — De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 4. — Mandonnet, o. c. p, 108, n. 87 et p. 150. — Editiones: Piana T. XVII, 35. v. bis — Parmensis T. XVII, 119. — Vivès T. XXVIII, 161.

7. De natura luminis. — (In editione Piana opusc. LI). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 340. — De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 4. — Mandonnet, o. c. p. 108, n. 98 et p. 150. — Editiones: Piana T. XVI. 36.bis — Parmensis T. XVIII, 120. — Vivès T. XXVIII, 163.

8. De natura loci. — (In editione Piana opusc. LII). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 340. — De Rubeis, Dissert. XXIV. C. II. n. 4. — Mandonnet, o. c. p. 108, n. 97 et p. 150. Editiones: Piana T. XVII. 36.v.bis — Parmensis T. XVII. 1$^{2}$2. — Vivès T. XXVIII, 165.

9. De intellectu et intellicibili. — (In editione Piana opusc. LIII). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 340. — De Rubeis, Dissert. XXIV. C. II. n. 5. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 111. — Grabmann, o. c. p. 7, n. 1). — Editiones: Piana T. XVII, 37.bis — Parmensis T. XVII, 126. — Vivès T. XXVIII, 170.

10. De quo est et de quod est. — (In editione Piana opusc. LIV). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 340. — De Rubeis, Dissert. XXIV. C. II. n. 5. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 101 et p. 151. — Editiones: Piana T. XVII, 38.bis — Parmensis T. XVII. 437. — Vivès T. XXVIII, 609.

11. De universalibus: tractatus primus; tractatus secundus. — (In editione Piana opusc. LV et LVI). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 340. — De Rubeis, Dissert XXIV, C. II. n. 6. — Mandonnet, o. c. p. 108, n. 89 et p. 150. — Grabmann, o. c. p. 165. — Editiones: Piana T. XVII, 38.bis — Parmensis T. XVII, 128. — Vivès T. XXVIII, 173.

12. De venerabili sacramento altaris. — (In editione Piana opusc. LVIII). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 340. — De Rubeis, Dissert. XXI. C. V. n. 1-2. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 132 et p. 155. — Editiones; Piana T. XVII, 43. bis — Parmensis T. XVII, 135. — Vivès T. XXVIII, 183.

13. De sacramento eucharistiae ad modum decem praedicamentorum ad petitionem quorundam praelatorum et baronum. — (In editione Piana opusculum LIX). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 341. — De Rubeis, Dissert. XXI C. V. n. 1-2. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 133. — Editiones: Piana T. XVII, 64.bis — Parmensis T. XVII, 177. — Vivès T. XXVIII, 242.

14. De humanitate Jesu Christi Domini nostri. — (In editione Piana opusculum LX). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 341. — De Rubeis, Dissert. XX. C. IV. n. 1. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 131 et p. 155. — Grabmann, o. c. p. 9. — Editiones: Piana T. XVII, 64. bis — Parmensis T. XVII, 183. — Vivès T. XXVIII, 254.

15. De dilectione Dei et proximi. — (In editione Piana opusc. LXI). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 341. — De Rubeis, Dissert. XX, Cap. IV. n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 135. — Editiones: Piana T. XVII, 79. v. bis — Parmensis T. XVII, 235. — Vivès T. XXVIII, 324.

16. De divinis moribus. — (In editione Piana opusc. LXII). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 341. — De Rubeis, Dissert. XX. C. IV. n. 3. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 118.bis. — Editiones: Piana T. XVII, 95.bis — Parmensis T. XVII, 285. — Vivès T. XXVIII, 395.

17. De beatitudine. — (In editione Piana opusc. LXIII). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 341. — De Rubeis, Dissert. XX. C. IV. n. 4. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 113 et p. 152. — Editiones: Piana T. XVII, 97.bis — Parmensis T. XVII, 292. — Vivès T. XXVIII, 404.

18. De modo confitendi et puritate conscientiae. — (In editione Piana opusculum LXIV). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 341. — De Rubeis, Dissert. XX. C. IV. n. 5. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 137. — Editiones: Piana T. XVII, 102.bis — Parmensis T. XVII. 308. — Vivès T. XXVIII, 426.

19. De officio sacerdotis. — (In editione Piana opusc. LXV). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 341. — De Rubeis, Dissert. XX. C. IV. n. 6. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 136 et p. 155. — Editiones: Piana T. XVII 106.v.bis — Parmensis T. XVII. 322. — Vivès T. XXVIII, 445.

20. De expositione missae. — (In editione Piana opusc. LXVI). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 341. — De Rubeis, Dissert. XX. C. IV. n. 7. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 134. — Editiones: Piana T. XVII, 109.v.bis — Parmensis T. XVII. 332. — Vivès T. XXVIII, 459.

21. De vitiis et virtutibus numero quaternario procedentibus. — (In editione Piana opusc. LXXI). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 342. — De Rubeis Dissert. XX. C. IV. n. 8. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 114. — Editiones: Piana T. XVII, 135.bis — Parmensis T. XVII, 397. — Vivès T. XXVIII. 551.

22. De usuris in communi et de usurarum contractibus. — (In editione Piana opusc. LXXIII). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 342. — De Rubeis, Dissert. XX. C V. n. 1. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 115 et p. 152. — Editiones: Piana T. XVII, 139.v-bis — Parmensis T. XVII. 413. — Vivès T., XXVIII, 575.

23. De eruditione principum. — (In editione Piana habetur post opusculun XL absque numero). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 339. — De Rubeis, Dissert. XXII. C. IV. n. 1. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 118 et p. 152. — Editiones: Piana T. XVII, 216. v. bis — Parmensis T. XVII. 390. — Vivès T. XXVII. 551.

24. De motoribus corporum coelestium. — (In editione Piana non habetur). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 344. — De Rubeis, Dissert. XXIV. C. II. n. 7. — Mandonnet, o. c. p. 108, n. 102. — Editiones: Parmensis T. XXIV, 217. — Vivès T. XXXII. 658.

25. De praescientia et praedestinatione. — (In editione Piana non habetur). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 291. — De Rubeis, Dissert. XX. C. V. n. 3. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 118. ter. — Editiones: Parmensis T. XXII. 436. — Vivès T. XXXII, 87.

26. Super Boethium de consolatione philosophiae. — (In editione Piana non habetur). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 343-344. — De Rubeis, Dissert. VIII, C. IV. n. 3. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 116. — Editiones: Parmensis T. XXIV, 1. — Vivès T. XXXII, 425.

27. Super Boethium de scholarium disciplina. — (In editione Piana non habetur). — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 344. — De Rubeis, Dissert. VIII. C. IV. n. 3. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 117 et p. 152. — Grabmann, o. c. p. 9. — Editiones: Parmensis T. XXIV. 148. — Vivès T. XXVI, 571.

28. De adventu antichristi. — (In editione Piana deest.) — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 110, n. 142 et p. 155-153. — Editiones: Parmensis T. XVII, 438. — Vivès T. XXVIII, 610.

29. De praeambulis ad ultimum iudicium. — (In editione Piana non habetur). — Cfr Mandonnet, o. c. p. 110, n. 143. — Editiones: Parmensis T. XVII, 452. Vivès T. XXVIII. 629.

30. Expositio de Ave Maria altera. — (In editione Piana deest.). — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 110, n. 140. — Grabmann, o. c. p. 185. — Editiones: Vivès T. XXXII, 836.

31. Officium de festo s. Augustini episcopi et confessoris et doctoris Ecclesiae. — (In editione Piana deest). — Cfr. Grabmann, o. c. p. 234. — Editiones: Parmensis T. XXIV. 237. — Vivès T. XXXII, 824. —

Alia quaedam opuscula apocrypha, quae in praedictis editionibus operum s. Thomae non habentur.

32. In Ps. Dionysium: de ecclesiastica hierarchia. — Cfr. De Rubeis, Dissert. VIII. C. III. n. 2. Mandonnet, o. c. p. 110, n. 128 et p. 154.

33. In Ps. Dionysium: de mystica theologia. — Cfr. De Rubeis, Dissert. VIII. C. III. n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 129 et p. 154.

34. In Ps. Dionysium: de coelesti hierarchia. — Cfr. De Rubeis, Dissert VIII. C. III. n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 127 et p. 154.

35. Super epistolas Dionysii. — Cfr. De Rubeis, Dissert. VIII. C. III. n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 110, n. 130 et p. 154.

36. Compendium theologicae veritatis. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 332. — De Rubeis, Dissert. XVII. C. IV. n. 2. — Mandonnet, o. c. p. 85-86 et. p. 110, n. 125.

37. Breviloquium, quomodo in unitate substantiae est Trinitas personarum. — Cfr. Quétif Echard o. c. p. 344. — De Rubeis, Dissert XXIV. C. II. n. 6

38. Utrum principium individuationis sit materia in corporalibus. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 344. — De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 6.

39. De motoribus corporum caelestium. — Cfr Quétif-Echard, o. c. p. 344. — De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 6.

40. Dominicae precationis pia admodum et erudita explanatio. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 344. — De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 6

41. De septem petitionibus orationis dominicae. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 344. — De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 6.

42. Mundi machina. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 344. — De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 6.

43. Summa de essentiis essentiarum. — Cfr. Quétif-Echard. o. c. p. 344 De Rubeis, Dissert. XXIV, C. II. n. 6.

44. Aurora sive aurea hora. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 345.

45. Commentarius in turbam philosophorum breviorem. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 345.

46. Secreta alchimiae magnalia de corporibus supercaelestibus in inferioribus rebus inventis. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 345.

47. De lapide minerali, plantali et animali. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 345.

48. Liber lilii benedicti. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 345.

49. Tractatus Domini Thomae Aquinatis Ord. Praed. datus fratri Raynaldo socio eiusdem Ordinis, declarans modum, quem tenere debet, volens laborare in alchimia. — Cfr. Quétif-Echard, o. c. p. 345. — De Rubeis, Dissert. XXIV. C. II. n. 6. — « Sic quibusdam audacibus, » inquit Quétif-Echard, l. c. — « placuit non solum praestigiatores sed et sycophantos agere, s. Thomae huius modi propudiosas lucubrationes affigendo, ut suae arti a tanto nomine auctoritate conciliata, eius exercendae pudorem procul amandarent. Sed nihil egerunt! »

---

## *D.*

## OPERA DEPERDITA AUT IGNOTA

Quidam auctores antiqui sicut et aliqui catalogi operum s. Thomae ipsi tribuunt adhuc quaedam opera, quae modo nobis ignota sunt, aut perierunt En elenchus talium operum!

1. Commentarius in primum librum sententiarum. — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 144-146 et Bibliographie p. XVIII. — Michelitsch, o. c. p. 188, n. 100. Vide supra p. 54, notam.

2. Commentarius in Cantica Canticorum. — Cfr. Mandonnet, Bibliographie, p. XVIII-XIX. — Michelitsch, o. c. p. 188, n. 101. — Vide supra p. 57.

3. Alius commentarius in evangelium s. Marci; item s. Lucae et s. Joannis. Insuper alius commentarius super s. Matthaeum usque ad cap. xiv; at hic ultimus commentarius fut *Reportatum Fr. Petri de Andria O. P.* — Cfr. Mandonnet, o. c. p. 43 et 143-144; Bibliographie. p. XVIII. — Michelitsch, o. c. p. 188, n. 102.

4. Super Magnificat. — Cfr. Michelitsch o. c. p. 188, n. 105. — Mandonnet numerat inter apocrypha, o. c. p. 110, n. 141.

5. De genealogia Beatae Mariae Virginis. — Cfr. Michelitsch, o. c. p. 188, n. 104. Mandonnet ponit inter apocrypha, o. c. p. 110, n. 138.

6. De duabus naturis in una persona in Christo. — Cfr. Michelitsch, o. c. p. 188, n. 103.

7. Tractatus de Corpore Christi, seu de modo essendi Corporis Christi in Eucharistia. Est responsio data ab illo ad quaestionem ipsi propositam a professoribus facultatis theologicae Parisiensis. — Cfr. Grabmann, o. c. p. 259-260.

8. De relatione. — Cfr. Michelitsch, o. c. p. 188, n. 108. — Mandonnet recenset inter apocrypha, o. c. p. 108, n. 91.

9. De motu progressivo animalium. — Cfr. Michelitsch, o. c. p. 188, n 109. — Mandonnet recenset inter apocrypha, o. c. p. 109, n. 105.

10. Super librum Simplicii. — Cfr. Michelitsch, o. c. p. 188, n. 110.

11. Expositio Timaei Platonis. — Cfr. Michelitsch, o. c. p. 188, n. 111.

12. Liber de aquarum conductibus. — Cfr. Michelitsch. o. c. p. 188, n, 112.

13. Liber de ingeniis erigendis. — Cfr. Michelitsch, o. c. p. 188, n. 113.

14. De virtutibus. — Cfr. Michelitsch, o. c. p. 188, n. 107. — Mandonnet, o. c. p. 109, n. 114 ponit inter apocrypha sub nomine *De virtutibus et vitiis*, — consequenter esset idem ac opusculum 21.um supra recensitum inter apocrypha; vide p. 120.

---

## CONSPECTUS OPUSCOLORUM S. THOMAE.

Cum opuscula s. Thomae communiter allegentur iuxta numerum editionis Pianae anni 1570, oportunum ducimus hîc apponere ex ordine numerationem illius editionis cum congruentibus numeris nostrae recensionis, ita ut facile inveniri queat, ad quam classem allegatum opusculum pertineat.

| *Numerus editionis Pianae.* | *Numerus nostrae recensionis.* | | |
|---|---|---|---|
| | *Opusc. authenticum,* | *controversum,* | *apocryphum.* |
| I. | 1. | | |
| II. | 2. | | |
| III. | 3. | | |
| IV. | 4. | | |
| V. | 5. | | |
| VI. | 6. | | |
| VII. | 7. | | |
| VIII. | 8. | | |
| IX. | | | 1. |
| X. | 9. | | |
| XI. | 10. | | |
| XII. | 11. | | |
| XIII. | | | 2. |
| XIV. | | | 3. |
| XV. | 12. | | |
| XVI. | 13. | | |
| XVII. | 14. | | |
| XVIII. | 15. | | |
| XIX. | 16. | | |
| XX. | 17. | | |
| XXI. | 18. | | |
| XXII. | 19. | | |
| XXIII. | 20. | | |
| XXIV. | 21. | | |

| *Numerus editionis Pianae.* | *Numerus nostrae recensionis.* | | |
|---|---|---|---|
| | *Opusc. authenticum,* | *controversum,* | *apocryphum.* |
| XXV. | 22. | | |
| XXVI. | 23. | | |
| XXVII. | 24. | | |
| XXVIII. | | 4. | |
| XXIX. | | 5. | |
| XXX. | 25. | | |
| XXXI. | 26. | | |
| XXXII. | | 6. | |
| XXXIII. | 27. | | |
| XXXIV. | 28. | | |
| XXXV. | 29. | | |
| XXXVI. | | 7. | |
| XXXVII. | | 8. | |
| XXXVIII. | | 9. | |
| XXXIX. | | 10. | |
| XL. | | 11. | |
| XLI. | | 12. | |
| XLII. | | 13. | |
| XLIII. | | | 1. |
| XLIV. | | | 2. |
| XLV. | | 15. | |
| XLVI. | | (*). | |
| XLVII. | | | 3. |
| XLVIII. | | | 4. |
| XLIX. | | | 5. |
| L. | | | 6. |
| LI. | | | 7. |
| LII. | | | 8. |
| LIII. | | | 9. |
| LIV. | | | 10. |
| LV. | | | 11. |
| LVI. | | | 11. |
| LVII. | 30. | | |
| LVIII. | | | 12. |
| LIX. | | | 13. |
| LX. | | | 14. |
| LXI. | | | 15. |
| LXII. | | | 16. |
| LXIII. | | | 17. |
| LXIV. | | | 18. |
| LXV. | | | 19. |
| LXVI. | | | 20. |
| LXVII. | 31. | | |
| LXVIII. | | 14. | |
| LXIX. | 32. | | |
| LXX. | 33. | | |
| LXXI. | | | 21. |
| LXXII. | | 17. | |
| LXXIII. | | | 22. |

* Opusculum XLVI. est idem ac opusculum XXXII.

# BREVIS CHRONOGRAPHIA VITAE S. THOMAE AQUINATIS *).

Non incongruum duco, hic statim lectores admonere, non esse facile opus, res gestas a sancto Thoma per certum temporis ordinem distribuere; antiqui enim eius vitae scriptores, unde nobis notitia Thomae vitae est depromenda, in determinando tempore rerum ab illo gestarum solliciti non erant, licet in aliis rebus enarrandis conveniant (1). — Posteriores biographi, praesertim a saec. XVIII, conati sunt eius vitam chronologice digerere, et ex hac parte multa quidem assecuti sunt, sed adhuc multa remanent incerta! Nil mirum ergo, si etiam moderni biographi vitae s. Thomae in multis adhuc discrepant in determinando tempore rerum ab illo gestarum (2).

---

(*) Hanc brevem chronographiam contractam quasi de verbo ad verbum referrimus ex illa, quam in « Alma Roma » fasc. III et IV (An. XI, 1924) pp. 39-42, 57-59 edidimus.

(1) PRAECIPUI BIOGRAPHI ANTIQUI: *Processus Canonizationis* (a. 1319), impressus in AA. SS. Mart. I, 684-714. — Fr. GUILELMUS DE TOCCO, O. P., *Vita B. Thomae de Aquino O. FFr. Praedicat.*, — impressa in AA. SS. Mart. I, 656-684. — Fr. PTOLOMAEUS DE LUCCA, O. P., scripsit *Historiam ecclesiasticam novam* in qua de s. Thoma Aquinate in diversis locis agit; edita apud A. MURATORI, *Scriptores rerum italicarum*, tom. XI, p. 1151 sqq. (Mediolani, 1727). — Fr. PETRUS CALO, O. P., *Vita S. Thomae;* edita a FR. D. PRÜMMER, O. P. in *Fontes vitae S. Thomae*, fascic. I, Tolosae, 1911. — Fr. BERNARDUS GUIDONIS, O. P., *Legenda S. Thomae de Aquino*, edita a B. MOMBRITIO in *Sanctuarium seu vitae Sanctorum;* nova editio Parisiis, 1910, t. II, p. 565-588. — Isti biographi fuerunt omnes aequales s. Thomae. — Multum inservit ad stabiliendam chronologiam s. Thomae: DENIFLE, O. P. et T. CHATELAIN, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, Parisiis, 1889, t. I, passim.

(2) Auctores recentiores quidam, qui praesertim conati sunt ordinare *chronographiam* vitae S. Thomae: J. QUÉTIF et J. ECHARD, O. P., *Scriptores Ordinis Praedicatorum*. Parisiis, 1719, t. I, 271 sqq. — Fr. B. DE RUBEIS, O. P. *De gestis et scriptis ac doctrina S. Thomae Aquinatis, Dissertationes criticae et apologeticae*, Venetiis, 1750. — J. A. ENDRES, *Studien zur Biographie des hl. Thomas von Aquin*, in « Hist. Jahrbuch », 29 (1908) pp. 537-558;

*Anno 1225.* — Thomas nascitur in castro, quod ab Italis *Roccasecca* nuncupatur, prope Aquinum in Campania (1). Parentes illi fuerunt Landulfus, Comes Aquini, et Theodora ex Comitibus Theanensibus.

*1230-1235.* — Quinquennis a parentibus traditur monachis S. Benedicti de Monte Cassino, pietate et litteris imbuendus (2).

*1235-1243.* — Anno 1235 vel sequenti, mittitur Neapolim, ut curriculum studiorum perficiat. Apud illud athenaeum in trivio, seu in humanioribus litteris, praeceptorem habet Magistrum Martinum; in quadrivio, seu in philosophicis disciplinis, Magistrum Petrum de Hibernia. Dum Neapoli in studia incumbit, cum Fratribus Ordinis Praedicatorum consuetudinem init; amore erga Ordinem captus et gratia divina allectus, statuit humanis rebus valedicere et eidem Ordini nomen dare, quo melius studiis vacare et saluti aeternae securius prospicere possit.

*1243.* — Ingreditur Ordinem Praedicatorum et habitum recipit e manibus Fr. Thomae Agni de Lentino, qui postea

---

774-789. — A. Michelitsch, *Thomasschriften.* Graz, 1913, t. I, p. 51-59. — P. Mandonnet, O. P. et J. Destrez, O. P., *Bibliographie thomiste.* Le Saulchoir, Kain, 1821, p. IX-XI. — F. Scandone, *La vita, la famiglia e la patria di S. Tommaso* in « S. Tommso d'Aquino O. P. Miscellanea storico-artistica », Roma 1924, p. 4-38. — Fr. D. Prümmer, O. P., *De chronologia vitae S. Thomae Aquinatis* in « Xenia thomistica », Romae 1925, t. III, p. 1-8. — Uberiorem et accuratiorem bibliographiam de vita S. Thomae suppeditabit *R. P. A Walz* in scripto: *Delineatio vitae S. Thomae de Aquino,* quod post breve tempus in hoc nostro commentario « *Angelicum* » in lucem prodibit.

(1) Annus nativitatis S. Thomae est incertus adhuc; biographi fluctuant inter annum 1224 et annum 1227. Ratio huius incertitudinis est; nullum adest certum documentum de eius nativitate; e contrario certi sumus de anno mortis eius, quae accidit a. 1274. Sed antiqui biographi referrentes annum eius mortis quidam ex eis dicunt illum *obiisse 50 anno vitae suae* (Tholomaeus de Lucca); alii referunt illum mortuum *esse in 48 anno vitae suae* (Barthol. de Capua); alii *49 annum perfecisse et 50 inchoasse* (Guil. de Thoco et Bernard. Guidonis).

(2) Quidam autumant parentes Thomam monachis Montis Cassini tradidisse tamquam Oblatum S. Benedicti. De hac re cfr. auctorem anonymum: *Historica disquisitio de monachatu benedictino divi Thomae Aquinatis apud Cassinenses antequam ad Dominicanum Praedicatorum Ordinem se transferret,* impressa a. 1724; et Responsionem Fr. B. De Rubeis in opere supra citato: Dissertatio I.

factus est Hierosolymitanus patriarcha (1). Veste Ordinis indutus, a Superioribus Romam mittitur, inde Parisios profecturus. Dum autem Parisios iter agit, a duobus germanis fratribus, Landulfo et Reginaldo, qui in exercitu Friderici II imperatoris erant et in Tuscia morabantur, vi comprehenditur captivus et ad parentes reducitur, qui filii ingressum in Ordinem Praedicatorum aegre tulerant. Thomas in paterna domo inclusus variis modis tentatur, ut a sancto proposito decedat; at ille firmus et constans in Christi vocatione persistit. Uno fere anno elapso, parentes inanem conatum experti, illi libertatem restituunt.

*1244.* — Thomas libertate donatus Neapolim ad Fratres Praedicatores convolat; dein Romam revertitur et eodem anno cum Fr. Joanne Teutonico, Generali Ordinis Magistro, Parisios venit studiis theologicis operam daturus (2).

*1245-1248.* — Moratur Parisiis in celebri conventu S. Jacobi Fratrum Ordinis sui; ibi in studium divinae scientiae incumbit sub Magistro B. Alberto Magno eiusdem Ordinis (3).

*1248-1252.* — Anno 1248 Parisios relinquit et cum Alberto Magno, magistro suo, Coloniam petit, et ibi in studio generali nuper erecto usque ad annum 1251 vel 1252 probabiliter lectoris agit officium (4).

*1252.* — A Superioribus Parisios iterum mittitur ad tradendas theologicas disciplinas et ad gradum magisterii in iis obtinendum.

*1252-1255.* — Parisiis S. Scripturam interpretatur et libros Sententiarum Petri Lombardi. - Hoc tempore incipit certamen

---

(1) Juxta P. Mandonnet S. Thomas reliquit monasterium Montis Cassini et Neapolim perexit anno 1239 et anno 1244 Ordinem Praedicat. ingressus est. E contrario iuxta P. D. Prümmer Thomas Ordinem ingressus est a. 1240.

(2) Juxta P. Mandonnet Thomas fuit libertate donatus a. 1245; et iuxta P. D. Prümmer quasi tribus annis captivus in domo paterna detentus est.

(3) P. D. Prümmer aliter opinatur: Thomas per urbem Parisiorum Coloniam venit, ubi sub Magistro B. Alberto Magno per annum fere studuit et dein Parisios reversus ibi ab anno 1245 ad annum 1248 studiis incubuit. Ita sentiunt et quidam alii moderni biographi.

(4) P. Denifle in *Chartular. Universitatis Parisiensis, o. c.* p. 307, n. 1, scribit: « Thomas circa an. 1248 Coloniam ad studendum missus est, ubi eodem tempore Albertus Magnus studium generale Ordinis pro Germania instituit ».

a quibusdam Magistris Universitatis Parisiensis contra Fratres Ordinum Mendicantium, praesertim contra Ordinem Praedicatorum. Dux Religiosos Mendicantes oppugnantium est Guilelmus a S. Amore, qui in suo opere *De periculis novissimorum temporum* invehit in Ordines ipsos.

*1256.* — Thomas adipiscitur gradum magisterii in S. Theologia; at Magistri Universitatis Parisiensis Mendicantibus infensi illum in collegium professorum Universitatis admittere recusant. Haimericus tamen, Universitatis cancellarius, legendi facultatem illi facit; ob hanc rem Summus Pontifex, Alexander IV, laudat Haimericum (1). - Hoc anno, a Moderatoribus suis Thomas vocatus, in Italiam venit, et Agnaniae, ubi Summus Pontifex Alexander IV morabatur, una cum B. Alberto Magno et S. Bonaventura strenue Ordines Mendicantes defendit (2). Guilelmus a Sancto Amore et eius asseclae damnantur et Thomas eodem anno Parisios revertitur, suas scholas prosequuturus.

*1257.* — Thomas rite agnoscitur Magister a collegio doctorum Universitatis; ideo mense Octobri anno scholastico initium facit sollemni oratione, quae *Principium* dicebatur (3).

*1258 1259.* — Parisiis suas lectiones prosequitur. — Tempore Quadragesimae a. 1259 e suggestu etiam verbum Dei annuntiat. In dominica Palmarum, quae erat d. IV Aprilis, dum publice concionatur, Guillotus, « bedellus » Universitatis scholarium nationis Picardorum, illum interrumpit et quemdam libellum famosum a professoribus Ordinibus Mendicantibus infensis concinnatum publicat. Ob hanc causam eodem anno die 26 m. Junii Summus Pontifex Alexander IV scribens episcopo Parisiensi, de hac re conqueritur et episcopo iniungit, ut huiusmodi offensionis reos puniat (4). — Hoc anno adest capitulo generali Ord. Praedicat. celebrato Valencennis die 1 m. Junii; ibique accipit mandatum ab ipso capitulo generali simul cum aliis

---

(1) Denifle-Chatelain, *o. c.* p 307.

(2) Sed Denifle *o. c* p. 333, n. 5, scribit: « Adfuerunt tunc in curia inter alios Humbertus Mag. Ord. (Praed.), Albertus Magnus.,,, Thomas Aquinas...., Minster Gen. Ord Min., scil. Joannes de Parma ( Thom. Cantimpr. De apibus, l. 2, c. 10, n. 23 ubi dicitur « Bonaventura »), ast Bonaventura a. 1257, febr. 2 in Ministrum Generalem electus est,.. »

(3) P. Mandonnet ponit annum 1256.

(4) Denifle-Chatelain, *o. c.* p. 309 sq.

quatuor Magistris Parisiensibus ex Ordine, nempe: B. Alberto Magno, Bonohomine Britone, Florentio Gallico et Petro de Tarentasia, conficiendi rationem studiorum pro Ordine Praedicatorum; quae ratio ab ipso capitulo generali rata habetur et Ordini praescribitur (1).

*1260-1261.* — Revertitur in Italiam et docet Romae (2).

*1260-1264.* — Saepius moratur apud Urbanum IV, qui Thomam magni habet; curiam Pontificiam comitatur. et Urbeveteri, Anagniae, Viterbii, Perusii lectiones habet. — Eodem tempore in curia quoque est Fr. Guilelmus de Moerbeka Ord. Praedicat., linguae graecae peritissimus; ab eo Thomas meliorem et magis fidelem versionem latinam operum Aristotelis exposcit, quod ille perficit.

*1265-1267.* — Capitulum provinciale Provinciae Romanae Ord. Praedicat. cuius Thomas filius erat, celebratum Anagniae 1265, illi praecipit, ut studium Romae teneat (3). — Thomas Romae docet regitque scholas in coenobio S. Sabinae. Acceptissimus est novo Summo Pontifici Clementi IV, qui illum saepius in curia desiderat. — Interest capitulo generali Ord. Praedicat. Bononiae, celebrato a. 1267 (4).

*1268.* — Verisimiliter Viterbii moratur, ubi curia Pontificis erat et ibi magisterium exercet.

*1269.* — Hoc anno invenimus eum in capitulo generali Ord. Praedicat. Parisiis celebrato ad diem XII m. Maii (5).

*1269-1272.* — Secundo legit in Universitate Parisiensi, at eius doctrina multos et potentes adversarios nanciscitur. Imprimis antiqui adversarii Ordinum religiosorum denuo caput extollunt, Ordines Mendicantes scriptis impetunt; praesertim Nicolaus Lexoviensis et Gerardus de Abbatisvilla, Magistri Parisienses. Dein hac aetate in scholis Parisiensibus periculosae

---

(1) Denifle-Chatelain, *o. c*, p. 385. — B. Reichert, O. P. *Acta capitulorum generalium Ord. Praedic.* Romae 1898, vol. I, p. 94 sqq.

(2) P. Mandonnet, scribit Thomam in Italiam rediisse a. 1259 et quidem aestate illius anni.

(3) Denifle-Chatelain, *o. c.* p. 505, n. 5.

(4) Cfr. Fr. Galuagni de la Flamma, *Cronica Ordinis Praedicat. ab an. 1170-1333.* Romae, 1897, p. 100, in « Monumenta Ord. Praedicat, historica », II-1.

(5) Quétif-Echard, *o. c.* p. 280.

Averroisticae assertiones traduntur, quas praesertim Magister Sigerus de Brabantia disseminat. Asseclae scholae antiquae: « Augustinismi », Thomam accusant, quasi erroneas doctrinas doceat. Contra hos omnes Thomas verbo et scriptis tum Ordines Mendicantes, tum sanam doctrinam Aristotelicam a se propugnatam defendit.

*1272.* — Vocatus a Moderatoribus in Italiam revertitur at sui ipsius magnum desiderium relinquit: Universitas Parisiensis Ordinis Moderatores rogat, ut Thomam Parisios ad docendum remittat (1). — Hoc anno capitulum Provinciale Provinciae Romanae Florentiae celebratum ipsi rursum mandat, ut studium Romae teneat (2). At Carolus I, utriusque Siciliae rex, instanter ab Ordine postulat, ut Thomas Neapolim mittatur ad docendum in illa Universitate. Vota Caroli praevalent et Thomas Neapolim proficiscitur, assignato illi a rege « honorario unciae auri unius quolibet mense » (3).

*1272-1273.* — Neapoli Theologiam docet; conciones ad populum tenet, praesertim tempore Quadragesimae anni 1273; eodem anno mense decembri cessat ab operibus conscribendis (4).

*1274.* — Mense Februario Neapolim relinquit et iter in Galliam instituit, ut concilio oecumenico, a Gregorio IX. Lugduni convocato, interesse possit; at iam in principio itineris infirmatur; ideo cogitur diverti in Abbatiam Ordinis Cisterciensium Fossae novae. Ibi morbo de die in diem ingravescente, Ecclesiae sacramentis devotissime susceptis, tandem ad ultimum finem vitae suae deveniens, die VII m. Martii candidam animam Deo restituit.

---

(1) Denifle-Chatelain, *o. c.* p. 505.
(2) Denifle-Chatelain, *o. c.* p. 505, n. 5.
(3) Quétif-Echard, *o. c.* p. 282.
(4) Processus Inquisitionis de eius vita in *Acta SS. Mart.* I, p. 711, n. 79.

# INDEX GENERALIS


PAGINA

*Prologus* . . . . . 3

*Notione praeviae* . . . . . 5

**I.** *Commentarii in opera Aristotelis* . . . . . 12

*Opera Aristotelis.* — 1. In libr. perihermeneias. — 2. In primum et secundum libr. posterior analyticor. — 3. In octo ll phisicor. — 4. In ll. de coelo et mundo — 5. In ll de generatione et corruptione. — 6. In ll. meteorologicor. — 7. In ll. de anima. — 8. In librum de sensu et sensato. — 9. In librum de memoria et reminiscentia. — 10. In duodecim ll. metaphysicor. — 11. In decem ll. ethicorum. — In ll. politicorum.

*Commentarius in librum de Causis* . . . . . 28

*Commentarii spurii vel dubii in opera Aristotelis* . . . . . 29

**II.** *Opera maiora theologica et philosophica* . . . . . 30

*Commentum in IV ll. sententiarum Mag. P. Lombardi* . . 30

*Quaestiones disputatae* . . . . . 31

1. Quaest. de potentia — 2 De malo. — 3. De spiritualibus creaturis. — 4. De anima. — 5 De unione Verbi Incarnati. — 6. De virtutibus in communi. — 7. De caritate. — 8. De correctione fraterna. — 9 De spe. — 10. De virtutibus cardinalibus. — 11. De veritate. — 12. De natura beatitudinis.

*Quaestiones quodlibetales* . . . . . 40

Quodlibetum primum. — Quod. secundum. — Quod. tertium. Quod. quartum. — Quod. quintum. — Quod sextum. — Quod. septimum. — Quod. octavum. — Quod. nonum. — Quod. decimum. — Quod. undecimum. — Quod. duodecimum.

*Summa contra Gentiles* . . . . . 49

*Summa theologiae* . . . . . 51

*Opus theologicum apocryphum* . . . . . 54

**III.** *Commentarii in s. Scripturam* . . . . . 55

1. In Job. — 2. In psalmos David. — 3. In Cantica canticorum. — 4. In Isaiam prophet. — 5. In Jeremiam prophet. — 6. In Threnos Jeremiae prophet. — 7. In Evangelium Matthaei. — 8. In Evangelium Joannis. — 9. Catena aurea super quatuor Evangelia. — 10. In epistolas s. Pauli.

*Commentarii apocryphi in s. Scripturam* . . . . . 69

PAGINA

IV. *Opuscula* . . . . . 70

*Opuscula authentica* . . . . . 71

1. Contra errores Graecorum. — 2. Compendium theologiae ad Fr. Reginaldum. — 3. De rationibus fidei contra Graecos, Armenos et Saracenos. — 4. De duobus praeceptis caritatis et decem legis praeceptis. — 5. De articulis fidei et sacramentis Ecclesiae. — 6. Expositio super symbolum Apost. — 7 Expositio orationis Dominicae. — 8. Expositio super salutatione angelica. — 9. Responsio ad Fr. Joan. Vercellensem de articulis XLII. — 10. Responsio ad lectorem Venetum de articulis XXXVI. — 11. Responsio ad lectorem Bisuntinum de articulis VI. — 12. De substantiis separatis. — 13. De unitate intellectus. — 14. Contra retrahentes homines a religionis ingressu. — 15. De perfectione vitae spiritualis. — 16. Contra impugnantes Dei cultum et religionem. — 17. De regimine principum. — 18. De regimine Judaeorum. — 19. De forma absolutionis. — 20 Expositio primae Decretalis. — 21. Expositio secundae Decretalis. — 22. De sortibus. — 23. De iudiciis astrorum. — 24. De aeternitate mundi. — 25 De ente et essentia. — 26. De principiis naturae. — 27. De mixtione elementorum. — 28. De occultis operibus naturae — 29. De motu cordis. — 30. Officium de festo Corporis Christi. — 31. De emptione et venditione. — 32. Fxpositio in librum Boethii de Hebdomadibus. — 33. Super librum Boethii de Trinitate. — 34. In Dionysium. de divinis nominibus. — 35. De secreto. — 36. Sermones. — 37. Duo principia. — 38. Piae preces.

*Opuscula de quorum authenticitate controvertitur* . . . . . 106

1. Responsio ad Fr. Joannem Vercell. de articulis CVIII. — 2. De differentia verbi divini et humani. — 3. De natura verbi intellectus. — 4. De fato. — 5. De principio individuationis. — 6. De natura materiae et dimensionibus interminatis — 7. De instantibus. — 8. De quatuor oppositis. — 9. De demonstratione. — 10. De falaciis. — 11. De propositionibus modalibus. — 12. De natura accidentis. — 13. De natura generis. — 14. Epistola exhortatoria de modo acquirendi scientiam. — 15. De pluralitate formarum. — 16. De sensu communi et de sensibus quinque interioribus. — 17. De concordatiis in se ipsum. — 18. Responsio ad Bernardum abbatem Casinensem.

*Opuscula apocrypha* . . . . . 118

*Opera deperdita aut ignota* . . . . . 122

*Conspectus opusculorum s. Thomae* . . . . . 123

*Appendix — Brevis chronographia vitae S. Thomae Aquin.* . 125

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
B765.T54B12 C001
INTRODUCTIO COMPENDIOSA IN OPERA S. THOM
3 0311 00001 3669

WITHDRAWN

B
765
.T54B12 31286
AUTHOR Bacić, Ambrosuius, 1867-
1931
TITLE INTRODUCTION COMPENDIOSA
IN OPERA S. THOMAE
AQUINATIS.

T5-ASA-251